CENSVRA ET DOCTA EXPLICATIO ERRORVM CATECHISMI IOANNIS MONHEMII,

Grammatici Dusseldorpensis, in qua tum S.Scripturę atq; vetustiss. Patrum testimonijs, tum euidentiss. rationibus veritas Catholicæ religionis defenditur, per deputatos à Sacra Theologica facultate Vniuersitatis Coloniensis.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
Ducem Iuliæ, Cliuiæ, &c.

Psalmo 118.

Τὰς ἢν μοι λαλίας ψευδεῖς προβάντες αἰσχρούς;
Τὸν νόμον ἀλλ' οὐ τὸν μοῦνον ἀρεστὸν ἔχω.

II. IOAN. EPIST.

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinã nõ adfert, nolite eũ recipere in domũ, nec aue ei dixeritis.

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LX.
Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest. ad decennium.

I
p
cı
C
m



ci
hi
ue
ma
un
di
ro

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI GVILHELMO, DVCI IVLIAE, CLIVIAE, ET BERGIAE, Comiti Marchiæ, & Rauenſpurgi, Dominoq; in Rauenſtein &c. Domino noſtro clementiſs. à Colonienſis vniuerſitatis Theologica facultate deſignati S. D.



Vemadmodū nihil eſt concordia præclarius, quā res paruæ in immenſum creſcūt, & ex duabus facilè fit vna ciuitas, Princeps Illuſtriſsime, ita nihil vnquàm peſtilentius diſcordia inueniri ac excogitari poteſt, qua & res maximæ dilabūtur, & ex vna duæ fiunt ciuitates, ſi Liuio & Saluſtio credimus. Hæc ſi vnquàm aliâs, nunc verò vel multò maximè ita orbem inua-

ſit vniuerſum, vt quocunq; ſe quis vertat, omnia tumultuoſis diſputatiõibus comperiat flagrare, ac turbulentiſſimis opinionum exagitari diſsidijs. Siquidem & naues vbique ferè rixoſis de fide concertationibus perſtrepunt, currus pernicioſis contentionibus feruent, tabernæ meritoriæ horrendis reſonant litibus. Denique nec fora, nec templa ipſa cum tanto animarum diſpendio, iurgijs vacare conſpicimus. Quæ verò alia poteſt dari omnium horum malorum cauſa, quàm tanta Chriſtianæ religionis diuerſitas, quæ adeò noxia eſt Reipu. vt nulla peſtis magis eſſe poſsit. Nam vt de animarũ iactura taceamus (quæ omniũ maximè deploranda eſt) in confeſſo eſt omnibus, temporariam etiam Reipub. fœlicitatem magna ex parte à veritate religionis

gionis dependere, nec eam ciuitatem aut ditionem posse diu in pace consistere, vbi liberum est vnicuique quem velit amplecti cultum religionis. Etiamsi id nos silentio premamus, nihil tamē aliud clamitat calamitosus ille Germaniæ status, quæ olim opibus florentissima, ac ob fidei synceritatem apud omnes celeberrima, nunc in tot sectas dissecta est, quot penè ditiones habet, imò plurimas domos reperias, quarum incolæ inter sese opinionibus perniciose dissident. O regionem infelicissimam, vbi tam discordes sunt animorum voluntates. O lachrymandas ciuitates, vbi cum adulterino Dei cultu simul omnis politia sepulta iacet. O miserrimam illam plebeculam, quæ tam seditiosis ac subdolis impostoribus aures accommodat, à quibus in tanta sa

 lutis

lutis discrimina pcipitata ruit. Hoc quàm plurimi agnoscunt principes Catholici: Hoc nō pauci contēplantur ciuitatū proceres viri prudētissimi, qui omnes vsq; adeò hanc sectariorū vafritiē ac inexpugnabilē malitiā execrantur, vt vel ad nomē ipsum nō mediocriter exhorrescant. Ita & religiosissimi C. T. parentes adeò exosas habuerunt has pestes, vt nunquā in suas ditiones permiserint irrepere: id sibi persuasum habentes, nullā esse regionem tam nobilem, firmam, ac opulentā, quin hæresibus imbuta facilè ab omni felicitate excidere queat. Nullā etiam reperiri ciuitatē, aut populū, qui molestiùs suo principi obtemperet, quàm dum prætextu libertatis Euāgelicæ, nullius præterquàm sui ipsius arbitrio duci velit. Euoluantur historiæ cùm veteres tum recen-

recentiores, adhibeatur in cõsultationem experientia, & nemo est qui inficias ire possit quæ dicimus. Hoc & C. T. (qua est prudẽtia) iampridẽ aduertit, ac proinde ne à maiorũ virtutibus ac fidei cõstantia degeneraret, etiam mandato nõ ita pridẽ cauit, ne quisquã à piè recordatiõis Patris C. T. sanctionibus vel ad latũ vnguem digrederetur. O te cũ tibi subiecto populo beatũ, si vt par est, infractũ animũ aduersus hostium Ecclesiæ insultus præbeas, si veterem illam ac apostolicam religionem martyrum sanguine cõsecratam, intemerata Confessorum ac Virginum vita insignitã, tot inuictissimorum Doctorum elucubrationibus elustratam suspexeris, colueris, ac magno animo vt facis, defendendam susceperis, futurũ confidimus, vt nomen tuum

*ſicut & parentum C. T. tota poſte-
ritas ſit admiratura ac celebratura,
nec non & perpetuò ſibi ſit populum
habitura obſequentiſsimum. Inſuper
quod potiſsimùm dictum oportuit, ſuã
ipſius animam ac populum Chriſti ſan
guine redemptum fideiq́; C. T. concre-
ditũ, in cælum ſit aſſertura. Non quòd
noſtra inſtitutione aut parænesi C. T.
egeat, ſed vt qua cœpit induſtria pa-
triæ ſaluti gnauiter inuigilet: ſubin-
dè enim vulpeculæ irrepunt, quæ vine-
am Domini Sabaoth demoliri conten-
dant, partim aſtuto concionãdi modo,
partim furtiuis ac clãncularijs inſtitu
tionibus, partim etiã pernitioſis qui-
buſdam libellis in lucem editis, quibus
nobilem illam iuuentutem, imò totam
regionem perditum iri cupiant. De
Monhemio potiſsimũ loquimur ac ſi-
milibus*

milibus, quorum nisi inauspicatis cœptis gnauiter obsistatur, metuendum est, ne infaustus illorum labor non solùm ciuitati Duisseldorpensi, verumetiam vniuersis ditionibus C.T. cladem ingentem sit allaturus. Persuasum nobis habemus, nec libellum quidem à C. T. vlla ratione approbatum, neq; iussu C.T. quin potius priuata ac plùs quàm præcipiti Monhemij temeritate in lucem prodijsse. Quamobrem nec C.T. ausus est dedicare, sed innocuæ ac incautæ iuuentuti, à qua non formidabat se passurum repulsam. Hoc nos sine vlla ambiguitate credimus, hoc omnes Catholici, qui C.T. rebusq́; tuis ex animo prospectum volunt sibi omninò persuadent. At propterea si fortassè nondum pestilentis libelli rumor ad aures C. T. peruenisset, existimabant

Christianæ pietatis supercilium requi-
rere, vt C.T. id significarent, non dubi-
tantes C.T. æquissimo animo hunc fi-
dei zelum laturam, præsertim cùm li-
bellus ille Catechismi titulo æditus tā
multis noxius esse possit. Adeò enim
fœdis scatet erroribus, vt qui anteà
Monhemij modestiam ac fidei synceri-
tatem non dubitabāt prædicare, nunc
Catholicæ fidei desertorem ac acerri-
mum sanctæ Ecclesiæ oppugnatorem
fateri cogantur, si tamē cunctas illas,
quas libellus cōplectitur hæreses, per-
tinaciter tueri laboret. Quo pacto ve-
rò veluti δὶς διὰ πασῶν cū sacra scriptu-
ra, Generalibus Concilijs, Doctoribus
illis priscis, ac denique fidelissimis hy-
storiographis pugnet, luculenter com-
mōstrabimus. Non quò C.T. in fide Ca-
tholica, quā cum lacte materna suxit,

insti-

institutamus, sed quò ab infamiæ nota, quam Monhemij Catechismus inurere poterat, apud Catholicos omnes vindicemus, & vt satis deprædicatã de C. T. veræ religionis opinionem ad posteros cũ incremento transmittamus, quò in omnibus propagetur gloria Christi, qui C. T. cum omnibus Consiliarijs quàm diutissimè nobis sospitẽ seruet. Datum Coloniæ Agrippinæ, Calendis Augusti, Anno 1560.

Illustriss. C. T.

A facultate Theologica Coloniensi designati ad omnia obsequentissimi.

RESPON-

RESPONSIO AD
CATHARINA BREIDBACHII
Catechismo Monhemij adiuncta.

HVc Diae Sophiae properent examina sacra:
Hoc pubes satiet se studiosa cibo.
Prodijt hic nuper spinis malè consitus hortus,
Atq; uenenosi dogmatis imbre scatens.
Cuius qui fueris ueteris pietatis amator:
Pectora ne laceres sentibus, oro, tua.
Hunc intra potiùs, quem Sancta Colonia semper
In ueteri constans Relligione, dedit.
Illic sunt tribuli, uepres, aconita, cicutae:
Hîc uiolae, myrtus, lilia, myrrha, crocum.
Illic lernaei contagio tabida fellis:
Hîc mel ab aethereo nascitur axe cadens.
Congerit haeresεων magno Monhemius astu,
Vndiq; mendicans mixta uenena fauis:
Hos in Diuinis praebet nutrita Corona,
AEthereos rores nectareosq; fauos.
Hîc contrà uirus tibi Pharmaca tuta parantur,
E' studij sacri diuite sumpta penu.
Nescius hausisti praui mendacia libri?
Euome: pro falsis en tibi uera patent.
Turbatis foueis, putriq; liquore refertis,

Quid

Quid tua defœdas labra tenella Puer?
Huc ades: en offert mammas Ecclesia Christi,
Ex his lac sugas spirituale licet.
Hic tibi syncerè Christum liber indicat: apta
Ad superos methodo dat pietatis iter.
Dogmata sancta Patrum maneãt, seruẽtur & illa,
Quæ coluit multo tempore Prisca fides.
Cur noua cum magno discrimine scripta sequaris?
Scandala sollicitè pernitiosa caue.
Desine Grammatico nimiùm confidere ῥαπτῇ
Κρηπιδίου μᾶλλον τῶν φρονοῦντ' ἀμαθῶς.

CATA.

CATALOGVS ARTICVLORVM QVI LIBELLO hoc explicantur.

FINIS.

Hiere-

Hieremiæ 6.


STate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigeriū animabus veſtris.

D. Aug. in Canonicam Iohannis.

OMnia quæ leguntur in ſcripturis ſanctis, ad inſtructionem & ſalutem noſtram intentè oportet audire. Maximè tamen memoriæ commendanda ſunt, quæ aduerſus hæreticos valent plurimùm, quorum inſidiæ, infirmiores quosq́ & negligentiores circumuenire non ceſſant.

CEN

CENSVRA ET DOCTA EXPLICATIO ERRORVM CATECHISMI IOANNIS MONHEMIJ, Grãmatici Duſſeldorpenſis, in quatum S. Scripturæ atq; vetuſtiſs. Patrum teſtimonijs, tum euidentiſs. etiam rationibus, veritas Catholicæ Religionis defenditur, per deputatos à Sacra Theologica facultate Vniuerſitatis Colonienſis.



VT nihil eſt in rebus humanis, quod cum adoleſcentum proba inſtitutiõe facilè conferri poſsit, ita eoſdem peruerſa doctrina in animarum perniciem imbuere, neſcio quid deterius haberi valeat: Nam in iuuentute ipſa totius Reipubl. ſalus, veluti meſsis in herba ſita eſt: ſiquidẽ ex ea Magiſtratus deligetur aliquãdo, Rectores populorum conſtituentur, denique illi omnes aſſumẽtur, quos vel leges olim condere, vel conditas ſeruare, aut ſeruatas interpretari conueniat, & omninò gubernacula in Repub. tenere. Hæc ſi prauis er-

roribus inquinetur, vt ſanè edocta erit, ita & alios volet dicere, & alios inſtituere. Ac proinde recte Ariſtoteles τῇ μὲν τὰ φυσικά τῷ ἐλάττ. α cap. 3. ὡς εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. Ita (inquit) volumus alios dicere, vt nos audire conſueuimus. Vnde & D. Hieronymus cùm in Euangelia præfatur: Quis (ait) doctus pariter vel indoctus, cùm in manus volumen aſſumpſerit, & à ſaliua quam ſemel imbibit, viderit diſcrepare quod lectitat, non ſtatim erumpat in vocem? Seriò itaque illi nobis admonendi videntur, qui iuuentuti præſunt, vt eam ſaniori doctrina, quam à maioribus ſuis in Eccleſia perdidicerunt, imbuant, & moribus ingenuis nobilem illam ætatem exornent. Huc quippe ſi conatus omnes ſuos, omnem induſtriam ac laborem referãt, mirum profectò dictu, quantum vtilitatis ciuitatibus ſint allaturi, quantumque ſibi omnium animos deuinctos reddent, quantam deniq; apud Chriſtum dominũ gratiam inibunt, cui hoc ſemper præ cęteris rebus munus ſummè placuit, vt innocua illa ætas ad Chriſtũ deducatur, quæ adhuc eſt ad virtutes & vitia flexilis. Hinc
Matt. 19. Chriſtus hortatur dicens: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.

lorum. Qui verò offendiculi aliquid talibus obijcit in quod impingant, melius esset (vel ipso Christo teste) vt suspēderetur mola asinaria in collo eius, & in profundū maris demergeretur. Seuera profectò illos manet Dei ira, & heu nimis districtū iudicium, qui dum inuigilare debeant tanquàm rationem pro commisso sibi grege reddituri, incumbant in gregis interitum, & irreparabilem animæ suæ perniciem, eò certè horribiliorem, quò plures in damnationem præcipitarint, vt præclarè admodum D. Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio in hæc verba testatur: Si qui fratrum suorum conscientiam offendunt, hi omnes in Christum peccant, qui non vnum, non duos, non tres tantùm, sed tam multos etiam populos perdiderint, illis quid tandem fiet? & cætera quæ sequuntur pulcherrima. Si omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur (vt veritatis præco ait) quid de illa arbore constituendum erit, quę non solùm malos, sed & pestilētissimos fructus pducit? Si omnē palmitē sterilem pater cælestis tollet, quid de illo censendum erit, qui non solùm pro vuis labruscas, sed lurida toxica propinat? Postremò si seruo talentum recondenti in

Matt.18
Hebr.13.
1. ad Cor.8
Matt.3.
Ioan.15.
Matt.25.

t[illegible] & opera misericordiæ negligenti [illegible] tam horrenda supplicia minatur, [illegible] horribiles daturus est pœnas, qui per t[illegible]léta sibi concredita Christo animas abripit, & dæmoni lucrifacit, pro clemétię operibus ęterni ignis alimoniam suppeditans. Quis non horrescat, si hæc ad amussim expedere conetur? In dubium vocari possent quę dicimus, nisi inuiolabilis Scripturæ veritas omnē [illegible] cluderet ambiguitatem: quæ vt crebro [illegible] exhortatur omnes ad proximi [illegible]cationem & animarum lucrum, ita [illegible] raro à proximi scandalo, & perditione dehortatur: vnde vas electionis D. Paulus acriter detonat in hunc modum: Non amplius iudicemus inuicē, sed hoc magis iudicate, ne ponatis offendiculū fratri aut scandalum. Et iterum: Bonum est non mãducare carnem, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Deinde alio loco inquit: Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. An non existimemus tam studiosum animarum aucupem dicturum fuisse, Priusquàm perniciosis dogmatis tot adolescentes in summam perniciem pertraherem, vellem, aut satius

Rom. 14.

esset,

esset, me nunquam in hanc prodijsse lucem. Vtinam hæc Monhemius, qua decet lance trutinaret, dum pueris suis quartæ & quintæ classium suum Catechismum auet interpretari. Quid autem aliud conatur, quàm tabellas rasas sordidis picturis commaculare, & vascula recentia pestifero imbuere liquore? Libellus enim iste ita erroribus scatet, vt si quis omnes refellere conetur, iusti voluminis magnitudinem opus sit excessurum. Cæterum quod magis detestandum est, tam vafrè atque occultè virus suum propinat incautis, vt etiam à plurimis Catholicis errores non deprehendantur, & hæretici doctrinam in eo suam facilè agnoscant. Itaque & peruersos in malitia confirmat, & sese in animos piorum specie boni insinuat. Credideramus viso titulo errore contigisse, & ignorantia potiùs quàm pertinaci animo libellum sic esse cōscriptum, cùm certò cognoscamus, Mōhemium nusquàm sub præceptoris vllius disciplina operam Theologiæ impendisse, sed magnam ætatis partem in politiorum literarum studio, ac iuuenum institutioe transmisisse. Ac proinde parum videtur meminisse illius prouerbij, Ne sutor vltra cre-

pidam. Parum etiã videtur consuluisse g'ā riæ nominis sui, qui tam præcipiti consilio & res arduas tractare, & discipulis suis nondum capacibus eas voluerit ꝓponere: quare & illius & discipulorum vices vehementer deflendæ sunt, nec minùs parentum casus deplorandus est, qui tam nephandis erroribus imbutos filios suos olim redire cõspicient, nisi Monhemius sententiam mutet, & hunc libellum ac institutionem ad limam reuocet. Quod certè illi summoperè optandum esset, vt suæ & aliorum saluti optimè consuleret. Quapropter vt errores suos agnoscere queat, per totum opusculum percurremus, occultatos detegemus, & paucis quoad eius fieri potest, confutare operam dabimus.

IN

IN PRAEFATIONEM MONHEMII.



T igitur rem ipſam aggrediamur, initiò commendandus eſt Monhemius, quòd ſuos diſcipulos non minus charos quàm filios habere ſe dicat: ſed quòd ſecùs comperiamus rem ſeſe habere, vehementer deplorandum eſt. Siquidem quàm pura Catechiſmus hic religionis elementa contineat, in progreſſu vberrimè explicabimus. Atque cumprimis in præfatione quid eſt quod ſe pueris quartæ & quintæ claſsium hunc Catechiſmum polliceatur explicaturum, maioribus autem, hoc eſt, Tertianis & Secundanis ſcripta vatū ac Apoſtolorum? An ne fortaſſe pueri, qui necdum commodè verba latina formare norunt (ſunt enim auditores declinationum, coniugationū atque Syntaxeos) apti ſint qui myſteria illa ſublimia, nempe peccati originalis, iuſtificationis, & id genus alia difficillima aſſequi poſſint, & qui prouectiores ſunt nonnihil, fortaſſe octodecim annorū abdita illa prophetarum oracula diſcant, priuſquàm Grãmaticã probè calleãt, & alias diſciplinas à limine ſalutarint, & ita è veſtigio illotis, quod

aiunt, pedibus ſacras literas adoriantur, in quibus veteres illi poſt abſolutam aliarum diſciplinarum cyclopediam omnem ætatem conſumpſerunt indeſeſſo ſtudio. Conſultius longè fuiſſet, ſi breuis quędam fidei explicatio ſacris diebus fuiſſet pueris declaranda propoſita, & academijs reliquũ negotium cõmiſſum, in quibus poſt emẽſa Grammaticæ, Rhetoricæ & Philoſophiæ ſtudia; ad altiores ſcientias cum fructu eueherentur. Sine illis enim magna conſtare non poſſunt, nec ſublimiora penetrari, etſi Monhemius id ſibi perſuaſiſsimum habere videatur, qui quoſuis etiã promiſcuè ad ſacrarum literarum lectionem admittẽdos eſſe exiſtimat: quaſi verò neceſſarium eſſet, vt anus relicta colo, faber ſepoſito malleo atque ſecuri, Epiſtolas Paulinas diurna nocturnaque manu verſet, & oracula Vatũ (hoc enim nomine Prophetas nuncupat) perpetuò meditetur doctus & indoctus. Sic enĩ loquitur hac præfatione Monhemius, tanquàm ſumma omnibus immineret pernicies, qui non ſeriò literas diuinas priuatim euoluant. Cæterùm nos priuſquàm de D. Chryſoſtomi loco, quèm adduxit, aliquid dicamus, expendemus quid veritatis hæc cõtineat ſentẽtia: Imò quàm ſit ri-

ſit ridiculũ in quæſtionẽ proponere, debeántne ſutores, opiliones, veſpillones, & cuiuſuis conditionis homines ſedulò in ſcripturis verſari, deq́; ijs in ſympoſijs, (q mos germanorum eſt) acriter diſputare, & vino madẽtes de reb9 fidei digladiari. Primũ ſanè difficultas ſcripturarũ ſat magno eſſe argumẽto debet, cur nõ oẽs paſsim ad lectionẽ earũ admitterẽ cõſultum ſit. Difficiles quippe eas eſſe, etſi pleriq; hac tempeſtate negarint, neſcio quis ſanæ mentis inficiari poſsit: docet id totũ vetus inſtrumentũ, in quo quis ſatis vnquã primũ & penultimũ Geneſeos capita ſe dicere potuit intellexiſſe: quis pſalteriũ, oracula ꝓphetarũ, quæ Monhemius tertianis & secũdanis interp̃tanda cenſuit, aſſecutũ iactitabit? De nouo Teſtamẽto qd attinet dicere, num plurima ſunt loca, in quibus cũ veteres plurimũ ſudarint, tandẽ tamẽ vix adhuc ſingula penetrarũt, imò ſilẽtio preſſerũt. Videãtur quæ ſcripſit D. Auguſt. de hoc loco Ioannis, Et ego neſciebam illum, &c. vt Ioannem cum Matthæo conciliet. Sermo ille domini in mõte tot habet myſteria quot verba, quẽadmodũ & D. Hieronymus de Apocalypſi teſtatum reliquit. In Dominicæ paſsionis enarratiõe ſumma dexteritate opus eſt, vt

quatuor illa Euangelia inter ſe conciliari poſsint. Iam verò de epiſtolis Paulinis locuples eſt teſtis D. Petrus: Difficilia quædã in ijs contineri, quæ indocti ad ſuam perditionem deprauant. huic facilè ſubſcribit Diuus Hieronymus ad Damaſum, his verbis loquens: Tota quidem ad Romanos Epiſtola interpretatione indiget, & tantis obſcuritatibus inuoluta eſt, vt pro intelligenda ea Spiritus ſancti indigeamus auxilio. Denique canonicæ epiſtolæ fortaſſe ad hoc cuipiam conſcriptæ videantur, vt pręcedentes Diui Pauli nonnihil forent apertiores, quemadmodum cùm de alijs, tũ maximè de altera D. Petri & Iacobi teſtatur D. Auguſtinus libro de Fide & operibus, capite 14. Sunt enim illæ difficultatibus etiam ſuis inuolutæ, vt de illis non vereatur dicere D. Hieronymus ad Paulinũ, Iacobus, Ioannes, Petrus & Iudas ſeptem ad Eccleſias ſcripſerunt epiſtolas ſuccinctas & breues in verbis, ſed longas in ſentẽtijs, vt rarus ſit qui in earũ lectione non cęcutiat, nõ rarè hallucinetur: Veteres omnes nihil aliud quàm difficultatẽ huiuſmodi in ſcriptura deplorant. Conſulatur (ne longiores ſimus) Irenæus lib. 2. contra hæreſes Valen. cap. 47. Fatetur quædam eſſe in ſcripturis

2.Pet.3.

quæ

quæ ſoli Deo ſint committenda, & libr. 3. cap. 2. Identidem Clemẽs Alexandrinus li. 1. & 6. Stromatum. Origenes etiam multus eſt in hoc negotio, nempe tractatu 19. in Matth. & in cap. 2. ad Romanos, & alibi ſępius. Cyrillus lib. 5. in Leuiticum plenam notitiam ſcripturarum etiam doctiſsimis denegat. Similiter D. Hieronymus quęſtione ſecunda epiſtolæ ad Damaſum, multa dicit eſſe in ſcripturis indiſſolubilia. Cui facilè concinit D. Auguſtinus libr. 12. de Ciuitate Dei cap. 15. Et epiſtola 3. ad Voluſianum. Plurimas autem huius rei cauſas adferunt, primùm quòd lingua peregrina ſcriptæ ſint, quæ cùm ſuas habeat peculiares phraſes ſuasque ambiguitates, non mirum ſi nos Latini non facilè in earum intellectum deueniamus: habent Hebræi pauciſsimas radices vnde cætera vocabula formentur, vt opus ſit voculam vnam multas ſignificationes ſortiri, quemadmodum de vocula יָצַר poſteà fortaſsis oſtendemus. Apoſtolorum Epiſtolæ, excepta ea quæ ad Hebræos miſſa eſt, omnes quidem Græcè conſcriptæ ſunt, ita tamen vt Hebraica phraſi & locutione repletæ ſint. Conſtat hoc ex Epiſtola ad Romanos ſexcentis in locis. Hæc igitur linguarum cognitio

gnitio, quæ in mercatoribus & secularibus hominibus desideratur, foret necessaria, vel certè admodũ oportuna. Verùm enimuerò hæc causa videbit adhuc exigua, si cũ alijs grauioribus cõferatur. Sæpe etenim sunt hyperbata, & alię id genus figurę, sæpè persona loquentis & ad quẽ fit sermo mutatur, vt præclarè admodũ Origenes in secundũ ad Rom. caput annotauit. Crebrò parabolicus est sermo, ad literã subinde intelligẽdus, subinde tãtùm μυστικῶς. Profunditas sensuum tanta est, vt nõ immeritò D. Aug. lib. 7. Epist. 44. mare magnum scripturã Diuinam vocarit. Et lib. 5. de Genesi ad literam cap. 3. Profunda est scriptura, ait, vt altitudine superbos irrideat, profunditate attentos teneat, veritate magnos pascat, affabilitate paruulos nutriat. Charta nos deficiet, si singula cõprehendere conemur. Cæterùm ne existimet quisquã fortuitò id euenisse & temerè, vt tot difficultatib9 scriptura sit inuoluta, grauissimis siquidem de causis id fieri Spiritus sanctus voluit, quas partim Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, partim D. Hieronymus in Ezechielis caput 45. partim D. Augustinus, partim etiam alij doctores recensent. Videatur D. August. lib. 2. de doctrina christiana cap. 6.

D. Chrys.

D. Chrysost. homelia 33. in Genesim. D. Grego. homelia 6. in Ezechielem. Voluit, ait Clemens, vt semper vigilemus inueniendis salutaribus orationibus, voluit diligentiam adhiberi, ne si omnibus foret exposita, tanquàm nimis aperta fastidiretur: voluit veritatem ex difficultatū tenebris erutam studiosiùs obseruari, & chariùs diligi. Quandoquidē quę difficiliùs parantur, & iucundiora sunt, & acrius afficiunt. Voluit & superbiam nostram hac difficultate edomare, ne iactitemus nos omni rerū Diuinarum scientia pręditos, nihil in sacris literis inuenire, cuius nos intelligentia lateat. Quemadmodum aliquando in libro de seruo Arbitrio, scripsit Lutherus. Voluit quoque ab externis occupationibus animos nostros abducere, atque ad solum Deum cordis nostri cogitationes erigere. Voluit denique margaritas neque porcis proijciendas esse, nec veluti commune aliquid prostitui, sed solis filijs reseruari. Est quippe [illegible] gemma quædā nobilis, quàm si [illegible] indoctus aliquis & rudis reperiat, vel [illegible] vt gallus ille Aesopicus, vel luto magis & turpitudine stercorū emergit. Id in hæreticis propriè cōpetere & Tertullianus lib. de præscriptionibus aduers. hæret.

&

& Vincentius Lirinensis in libello suo de hæresibus verè aureo ante annos quamplurimos eleganter diserteq; scripserũt: Quisque eam lacerat, quisque ad suum sensum trahit, atq; eadem omnino verba in cõtrarias sententias diuersi distrahunt. Fecerũt id quondam omnes quotquot extiterunt hæretici, faciunt id ipsum nõ meliores suis patribus nostri pseudoeuangelistæ. Verba hæc: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum dei: Alij omnes cuiusuis ætatis hominibus accommodant: Anabaptistæ solis adultis. Quatuor hæ voculæ, Hoc est corpus meũ vix sciri potest, quàm variè distrahantur quamque multiplici sensu dissipentur. Alij, est: id est significat, veluti, petra erat Christus: Alij, hoc: panẽ significare volũt vt is quoque verus, illic reseruetur: Alij aliam intelligentiam imaginantur quisq; pro suo sensu & arbitratu. Si facilis sit scriptura si cuiuis obuia, vt eius ver⁹ sensus percipiatur, qui factum est, vt tam multas hæreses tamq; pugnantes errores eadem verba patiantur, atque in varias ambiguasq; sententias rapiãtur. Olim Vualdenses rudes idiotæ fuerunt, quales modò Anabaptistas videas, qui dum nimium scripturę niterẽtur,

Ioan. 3.

hoc ipso erroris ansam arripuerunt. Excultos & exercitatos sensus requirit scriptura, hominesque tali spiritu afflatos quo illæ dictatæ sunt. Est igitur iustissimè cautum, ne qui imperiti sunt, & ad discernendũ verum à falso necdum purgatam mentem habent, de scripturarum difficultatibus vnquàm disceptent, sed id negotij ijs qui probè hac in re versati sunt committant. Iuxta B. August. consilium lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 1. & canone 19. sextæ generalis synodi. Atque hactenus quidem ipsius scripturæ difficultas ostēdit, quàm non sit ab omnibus promiscuè legenda: nunc & hoc ipsum doceri poterit officio & muneris functiōe eorum, quibus hoc à Domino est delegatum. Sacerdotum est quippe scripturas exponere, vt Malachię capite 2. traditur: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius. Non illud ad rudem plebē & populares spectat, nisi Ezechielem velint minitantem audire cap. 13. Vę Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum. Certè si officia omnium legitimo ordine & ritè in Ecclesia disposita sint iuxta D. Pauli sententiam 1. ad Cor. 12. Neque id solùm in ijs quæ externam politiam concernunt, verùm vel maximè in ijs quæ

ijs quæ religionem attingunt. Non magis debebit mercator aut sartor diuinarum literarum enarratione occupari, quàm sartor aut cementarius crepidam suere. Audi quàm grauiter olim hanc Monhemij & aliorum hæreticorum sententiam D. Hieronymus ad Paulinum insectatus sit: Sola, inquit, scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant, Scribimus indocti doctique poemata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hãc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docẽt, antequàm discant. Alij adducto supercilio grandia verba trutinant, inter mulierculas de sacris literis philosophantur: & alia quæ sequuntur. In hanc sententiam quid præterea D. Gregorius Nazianzenus scripserit libro 1. de Theologia, videre licebit: Nõ cuiusuis est (inquit) ò viri Christiani, de Deo disputare, non inquam cuiusuis, non adeo hæc res est vilis, & eorũ qui etiamnùm humi serpentes terrenis studijs occupantur & paucis interiectis: Nõ omnium quidem quando eorum tantùm est, qui inter multos habito delectu ad tantum munus videantur idonei, quiq; cõtemplandi acumine cæteris antecellãt, &c. Audi quæso & D. Bernardũ sermone 1. in Cãtica: Ante carnem

ar-

ait, disciplinæ studijs edomitam & mancipatam spiritui, ante spretam & abiectam seculi pompam & sarcinam indignè ab impuris lectio sacra præsumitur. Quomodo nēpè in cassum lux circumfundit oculos cæcos & clausos: ita animalis homo non percipit ea quæ spiritus sunt Dei, &c. Hæc nūc eò adducta sint, vt tandem aliquādo intelligat Monhemius, non esse quorumuis hominum Sacras literas contrectare, aut religionis negotio se immiscere, quippè qui alienis curis præpediti, huc mentem transferre nequeant, vt vel seriò ea contemplentur, quæ religionis esse diximus, vel etiam ad harum rerum interpretes sese cōferant. Audi obsecro q̄ apposite D. Basilius quondam Imperatoris œconomo multa ex Sacra scriptura pro Arriana hæresi adferenti responderit: Tuum est, inquit, pulmēta Cæsari pręparare, non Euangelium exponere. Eleganter D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 25. Non requiretur à vulgo scientia, sed bona vita. Et Tertullianus lib. de præscript. hæreticorum: Fides, ait, tua te saluū fecit, nō exercitatio scripturarum. Non est ergo quod solliciti simus, vt vulgus hominum rude & indoctum difficiles scripturas meditetur. Neq; enim, vt dicebat verè doctus

Hugo Victorinus li. 1. de Sacramētis.

 & pius

& pius quidam, pietas diuina attendit quãta cognitione credatur, sed magis quanta deuotione quod creditur, diligatur. Populus itaq; imperitus Ecclesiasten audiat, Euangelium & Epistolam eius interpretatione discat, audita domi repetat, & audienda ad instar sedulorum discipulorum summa diligentia præuideat. Hoc si fecerit, D. Chrisost. desiderio factum fuerit abundè satis: nihil enim vult ille aliud, nisi vt audita ex ore Sacerdotis nõ statim effluant, sed vt in cordis scrinio seruari curentur, atque ad futuram concionem priùs præparentur animi. Sic enim homil. de Lazaro inquit: Idcircò vobis crebrò prædicimus multis antè diebus argumẽtum, de quo sumus loquuturi, vt his in medio diebus sumpto libro, perpẽsaque summa tota posteaquàm intellexeritis quid dictum sit, quid restet dicendum, mẽtem vestram instructiorem reddatis ad audienda quę pòst differentur. Viden' vt velit Chrys. aures ad audiẽdum, mentemq; ad percipiendum accommodari? Nam quæ sequuntur eodem in loco, quibus adhortatur, vt domi quoque suæ quisque Sacræ lectioni vacet, de ijs scripturis intelligendum venit, quas ad explicãdum faciliores esse constat, vel quia hystoriam conti-

continent, vt illa erit, quã habebat prę manibus: vel quia aliquando à sacerdotibus in publicis concionibus fuerant expositæ. Neq; voluit vnquàm Chrysost. vt suo sensu ductus aliquis scripturam interpretetur, sed vt in locis ambiguis veteres consulantur, ne errori aliqua præbeatẽ occasio. Hoc ipsum in præfatione Commẽtariorum in epistolam ad Romanos manifestè satis docuit: Quoniã, inquit, plures ex ijs quæ huc conuenere, & liberorum educationem, & vxoris curam, gubernandæque domus curam in sese receperunt, atque ideo non sustinent totos se labori isti addicere, saltem ad percipienda quæ alij collegerunt, excitemini. Audisne quantum laboris difficilioribus Sacræ scripturæ locis nos velit impendere? Toti, ait, se labori isti addicere, &, Ad percipienda quæ alij collegerũt. Igitur vulgus, quod nec veteres interpretes, & ob idiomatis ignorationẽ, quo scripserũt, intelligit, nec otio abundat, vt quæ alij interpretati sunt colligat, nec iudicio valet, sana à prauis discernẽdi, meritò à scriptũrarum maximè difficiliorum lectione prohibetur: quia eius est vulgus animi, vt si alium sensum assumpserit, atque is est quem hactenus approbauit Ecclesia, facillimè in

hæresim præceps ruat. De intelligentia (ait B. Hilarius initio libri 2. de Trinitate) hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo sit crimen. Iuuenibus porrò quis arcana hæc scripturæ mysteria audeat concredere, quos Aristoteles ipse ob nimias animorum suorum perturbationes non satis accommodos auditores esse moralis philosophiæ, fatetur libro primo Ethicorum capite tertio. Hos tamen non prohibemus, quin de ijs inter sese conferant, quę in concionibus aut lectionibus didicerunt: quandoquidem talibus collocutionibus & timor Domini magis accrescit, & charitas vehementior excitatur. Verùm cõsultius esse ducimus, scripturarum intellectũ illis non committere, ne calore iuuenili, qui subinde supra modum feruet, non secundum scientiam nimium aliquid sibi tribuant. Certè Hebręorum Magistri (quemadmodum Origenes in præfatione in Cantica canticorum, & post eum D. Hieronymus in prohemio in Ezechielem testantur) cùm ordine quodam iuuenibus sacras literas explicarent, tum non sunt passi, vt ante annum 30. difficiliores attingerent. Neque verò hoc dixit Chry. ex eo hæreses oriri, quòd scriptura à vulgo non legatur,

cùm

cùm illud falſum eſſe tot hactenus ſecula docuerint, in quibus nulla vnquàm reperta ſit hæreſis, quæ non ſcripturis fuerit vſa: imò vt audentiùs dicamus, quæ nō ex ſcripturis occaſionem acceperit. Cæterùm voluit Chryſoſt. errorum omnium cauſam in negligentem ſcripturarum lectionē transferendam eſſe, quia videlicet non quid maiores cenſerint colligebatur, ſed quid cuique ſapiebat, effutiebatur. Vide Tertullianum de præſcriptionibus hæreticorum, & Vincentium Lirinenſem in eo, quem contra hæreſes ſcripſit libello, fatentur illi ſcripturam perperàm intellectam hæreſes peperiſſe. Conſule nunc, ſi placet Monhemi, quę ex D. Chry. attuliſti teſtimonia, & vide num tuo, an potiùs noſtro intellectui faueant.

Cæterùm quid ſibi volūt iſti pſalmorū verſiculi, Lex Domini immaculata conuertens animas, &c. Mādata Domini recta lętificantia cor, & cæteri, qui deinceps ſequuntur: fortaſsis eò adiecti ſunt, vt facilitas ſcripturæ luculentiùs omnibus ſignificaretur. Atqui nulla fit hic ſcripturarū mētio Monhemi, ſed tantùm legis & mādatorum Dei. Eſt certè præceptum Domini lucidum, illuſtrans corda fidelium, vtpote in quo vita

omnis noſtra totaque ſalus conſiſtit:pleni tudo autem legis eſt dilectio. Diligere Deũ ex intimis animi medullis, imò ex tota anima,toto corde,tota mente, & omnibus viribus, proximum deinde non aliter atque nos ipſos,norma eſt vitę Chriſtianę.Lucerna pedibus noſtris, qua in caliginoſo loco ſine offenſione curramus, lætificat cor, ſecuram ac pacatam in nobis producens conſciẽtiam: ſiquidem fructus ſpiritus eſt gaudium,pax,&c. Clarum eſt mandatum dilectionis & lucidum ,atq; meritò deſiderabile ijs ,qui nõ in hyſtorica quadam fide,aut inani fiducia ſpem omnẽ ſalutis collocant: dulce eſt ſanctis omnibus qui apertè in ſeſe experiuntur, quàm nihil ſit amanti difficile: nam in cuſtodiendis mãdatis retributio multa. Nota obiter verba & ſigna myſteria,non dixit,in legenda ſcriptura, non in credendis ijs, ſed in cuſtodiendis illis retributio multa.Poſteà Deo noſtris cœptis aſpirante,hunc quem adduxiſti locum,repetemus: interim illud obſeruatum cupimus, non ſatis appoſitè Pſalmum iſtum ad illuſtrandam ſcripturam productum eſſe, cùm de ſolo præcepto diuino loquatur, quod etiam citra literas diſcitur, vt pulcherrimè apud D. Clementem Alexandrinum

Ad Gala. 5

D.Bern.

Pſalm.118.

num annotatum reperias libro 3.Pædagogi,capite 11.

Carmina Ioan.Breidbachij discipuli clarissimè significant, quãtum ipse vel ex huius Catechismi, vel ex sacrarum literarum lectione promouerit:certè si fames hoc libello exaturanda est, magna hactenus oppressi sumus inopia : Si odorferus sit hortus Ecclesia Dei viui, de qua Sapiens in canticis: Hortus conclusus fons signatus, emissiones tuæ paradisus: Hortus non erit, vtpote quæ pugnantes cum hoc libello fructus,pugnantiaq; dogmata emittit. Sit igitur vel Ecclesia hortus fœtidus, vel quod procliuiùs credendũ est, hic libellus Monhemij. Contrà verò censet iste discipulus, quando inter cætera ita loquitur:Dogmata Christiadum sint vana explosa theatro. Quis hanc arrogantiam,& plusquàm iuuenilem temeritatem in discipulo fortè tertiæ aut secũdæ classis, nedum in præceptore ferendã esse putet? Dogmata scilicet omnia Christiadum explodenda esse, solùm autem Catechismum Monhemij præ cæteris omnibus obuijs vlnis amplectendum esse. Sanè si tales edit hortus iste flores, fastum dico & arrogantiam, valeat cum suo colono & agricola. Rectè profectò à Græ-

cis vsurpatum est prouerbium: Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id est, mali corui malũ ouũ, qualis præceptor, talis & discipulus. Certè etiamsi hic libellus Monhemij ingenium & animum non proderet, discipuli fœtura hæc, & ea quam iuniori principi dedicauit, palàm facere posset. O egregiã preceptoris laudẽ, quæ discipuli etiam impijs blasphemijs coniuncta est.

IN DIALOGVM PRIMVM DE DEO.

FOlio primo sic habet: *Fili didicisti ex præceptoribus uiris doctis pijsq;.* Vt ex vnguibus Leonem, & ex plumis auem: ita ex initio dialogi primi facilè agnoscas totius libelli institutionẽ: fatetur enim Monhemius, filium, quem introducit loquentem à patre, hoc est, à se ac vxore sua, à pastore ac deniq; à præceptoribus, viris (si Dijs placet) doctis ac pijs, hãc hausisse doctrinam. Tritum est prouerbium, & à D. Hieronymo vsurpatum: Similes habent labra lactucas. Certè qualis est pater & mater, talis est & filius. Pater suam telã ex Lutheri, Melanthonis, Zuinglij, Caluini, Brentij, atque id genus hæreticorũ scriptis cõtexuit & consarcinauit, qui vt inter sese errorribus in immen-

immensum dissideant, ac tot animarũ myriadibus perniciẽ quotidie accersant, vniuerso penè orbi satis compertum est. An quisquam ex cœnoso ac turbido fonte vnquam limpidam hausit aquam? Num de spinis vuas, aut de tribulis ficus colligere licet? Matt. 7. An nõ ex fructibus vnaqueq; agnoscitur arbor? Nonne si cęcus cęcũ ducit, ambo in foueã cadũt? Lucæ 6. Nõ nostræ, sed Christi sunt sententiæ, quę meridiana luce clarius ostẽdunt, quid de institutione huius libelli sibi probus quisque polliceri possit, vel coniectura augurari debeat. Siquidem sub filij nomine nũc Caluinus, nũc Zuuinglius, ac cæteri eiusdem farinæ homines impiè loquuntur. Et ne hic fucus à quibusuis deprehẽdi queat, Mõhemius subinde Catholicã ĩtermiscet doctrinã, vt ita improuida iuuẽtus cũ pia Ecclesiæ Catholicę institutione, simul & Lutheranismũ, Caluinismũ, Zuuinglianismũ, ac reliquas pestes toti nũc orbi exosas, perniciose imbibat. quid hoc aliud est, quàm poculum venenatum melle prælinire, ac omnibus, præsertim rudi plebeculæ, epotandum propinare? Sed hæc auxiliante Dei gratia manifestiora faciemus, vt quiuis hunc Monhemij dolum facilè subodorari queat.

Folio tertio, facie prima hanc ponit sententiam: *In sola Dei misericordia consistit nostra omnium salus.* Quam si ita intellectã volet, vt omnem excludat iustitiam, qua nos meritis operum bonorum nonnihil deberi credimus, erronea est, ac posteà dialogo quinto diffusiùs explicanda & conuellenda. Si verò alio velit intelligi modo (quem S. Ecclesia amplectitur ex D. Pauli sententia, qui ait: Gratia Dei vita æterna, & alibi: Gratia Dei sum id quod sum) commendari ac seruari potest: quamuis enim meritis sanctorũ vita æterna debetur, gratis tamen datur, tam si primam causam, quàm si mercedis equalitatẽ respiciamus. Summę enim fuit Dei misericordię, vt rectè operantibus vitam æternam promitteret. Stare aũt promissis, vbi quis præcepta omnia pro sua virili cum gratiæ Diuinæ præsidio adimpleuerit, iustitiæ est: licet enim nõ sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis: ex pacto tamẽ & gratia Dei, à qua potissimùm proficiscũntur coniuncta nostra bona voluntate, æternã vitã rectè promereri dicuntur.

Rom. 6.

1. Cor. 15.

Sæpissimè hoc in libello videtur de authore Epistolæ ad Hebræos dubitare Monhemius. Nam etsi bis in toto opusculo Dialogo

logo ſcilicet.4.& 5.Apoſtolũ nominet,tamen in cæteris locis ſemper authorem Epiſtolę ad Hebręos appellat,vnde multi ſubodorantur Monhemium cum ſuo Eraſmo (cuius verſioni illam, qua hactenus vſa eſt Eccleſia,poſtpoſuit) nonnihil de authore dubitaſſe.Cùm tamen in Canonibus Apoſtolorũ canone 84. (qui in 6. Synodo generali approbatus eſt canone ſecundo) in Synodo Laodic. ca.59. in Chartag.3. can. 47. in Synodo Romana 70.Epiſcoporum ſub Gelaſio Papa: in Florentina & Tridentina ſeſsione 3.Apud D. Gregorium Nazianzenum in Carminibus.D.Innocentium primum,Epiſtola 3,cap.7. D.Auguſt.lib.2. de doctrina Chriſtiana ca.8. His(inquam) locis inter Canonicos libros,etiam hæc Epiſtola recenſetur. D. Hieron.in proemio Epiſtolæ ad Titum,propterea hanc Epiſtolam ab hæreticis reiectam fatetur, quòd in ea errores ipſorum nimis apertè detegerentur.Præterea D.Chryſ.in proemio in Epiſtolas D.Pauli, vbi apertiſsimè etiam hanc D. Paulo aſſcribit. Et ſanè quãtumuis aliquando de ea dubitatum fuerit: poſteà tamẽ (teſte Nicephoro li.2.ca.46) in omnibus quę ſub cælo ſunt Eccleſijs,authoritatẽ Sacroſanctã & inexpugnabilẽ obtinuit.

IN

IN DIALOGVM SECVN-DVM DE HOMINE.

FOlio quinto facie secunda, dum hi verbis vtitur : *Vt mulier initio, deinde & maritus se contra Deum efferre cuperent*, ita loquitur, ac si Adamus seductus quoque fuerit, cùm secùs dicat Apostolus: Adam nō e
1. Tim. 2. seductus, mulier autem seducta fuit in præuaricatione. Nisi hoc sensu verba Monhemij sint intelligenda, vt prior mulier peccarit, quæ deinde maritum ad peccandu induxerit. Peccare autem est Deo resister & eius præceptis nolle obtemperare. At illud esse potest contra Deum se efferre.

Folio sexto facie prima, in definitio peccati originalis, eam sic ponit Hugo tractatu tertio eruditionis Theologiæ, ca. 1 Est concupiscētia mali, & ignorantia boni. Et in eodem loco post pauca ex D. Augustino, licet remaneat cōcupiscentia po Baptismum, non tamen ad reatum. In h tractatiōe longè consultius fuisset, D. Hie ronymi translatione vti, Genesis 8. Cog tatio humani cordis ad malū prona est a adolescētia sua: alia enim translatio eò pa latim tendere videtur, vt nimiùm pecca hominū, aut naturā exaggeret, vt nihil

ea boni inſit. Nã quamuis Hebræis habeat hoc modo, כִּי יֵצֶר לֵב הָאָדָם רַע מִנְּעֻרָיו quoniam figmentum cordis hominis malum ab adoleſcentia ſua, vocula tamen יֵצֶר licet ſi etimon ſpectes figmentum, & cogitationem ſignificet, Hebræis eſt in vſu pro deſiderio & concupiſcentia: Vide Rabbinos Hebræorum, vt ſenſus ſit: In corde humano eſſe pronitatem & concupiſcentiam quandam ad malum. Eodem hoc loco ſententia quędam poſita eſt: *Omnia opera eorum qui renati Baptiſmo non ſunt, quantumuis uideantur ſpetioſa, inter peccata recenſentur.* Hæc dialogo quinto repetita eſt. Durũ profectò eſt, tale aliquid docere, nec ſatis accõmodum his, quę doctores hac tempeſtate aſſeuerãt. Quamuis etenim veteres quidam aliquando idem dixiſſe viſi ſunt, ſcripturæ tamen, quibus hoc probari putatur, non multum ſanè momẽti ad hoc declarandũ habẽt. Quod enim Romanorum 14. ſcriptum eſt, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, D. Ambro. Chryſoſt. Theophylact. de dictamine conſcientiæ interpretantur, hoc ſenſu: Quicquid contra credulitatem atq; conſcientiæ perſuaſionem quiſpiam agit, peccatum eſt. Senſus iſte D. Pauli verbis apprime

primè consentaneus est, videturque à loco generis argumentū deduci eiusmodi: Quicquid non est ex fide atq; animi persuasione, peccatū est: igitur qui discernit si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide atq; conscientię dictamine. Illud verò Hebræorum 11. Sine fide impossibile est placere Deo, verissimum est. Vt enim sint moralia bona, quæ ab infidelibus eduntur, Deo tamē gratum hominem minimè reddunt, vtpote à quo charitas abest, quæ est forma & ornamentum omnium virtutum. Et certè si benè perpendatur D. Augustinus lib. 4. aduersus Iulianum cap. 3. (ex quo loco Monhemius dogma istud nimis sanè παράδοξον hausit) nihil aliud reperietur dixisse, quàm infideliū opera ad verā pietatem aut salutem æternam nihil quicquam conferre, nec ad eam perducere. Videatur finis capitis: quoniam saltem (ait Iuliano) concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen ad salutem sempiternam regnumque perducere. Interpretatur videlicet ea omnia verba, quorum antea meminerat, & nisi hunc sensum admittamus, necessum erit, vt secum aliquando pugnare dicatur, quod à tāto viro alienum esse, nemo est qui non agnoscat. Consule

Epi-

Epistolam eius 130.ad Circenses, in qua fatetur, virtutes morales Gentilium esse Dei dona: Et Epistolam 99. ad Euodium: Item Epistolam 5.ad Macedonium: Denique libellum de Patientia cap.26. Apud alios veteres vix vnquàm aliud inuenias. His consonat locus D. Pauli ad Romanos 2. cap. Cùm enim Gentes, quæ legem nõ habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex, &c. Lege Græcos, D. Chryso. Theophyl. Oecumenium, quid in eum locum commententur. Postremò error iste sub anathematis interminatiõe damnatus est in Tridẽtina Synodo, canone 7. Si quis dixerit omnia opera, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, anathema sit.

Folio octauo, facie secunda ita loquitur: *Ex nobis ipsis ad benè agendum minimè sumus idonei. Solus Deus bonũ opus inchoat in nobis, & solus perficit.* Ambigua est hæc sententia: si enim velit absque diuino auxilio nihil nos quod bonum sit operari posse, sanctissimè contra Pelagianos dictum esse censemus: Si verò cũ Lutheranis arbitrij libertatẽ velit excludere, hæretica blasphemia est, apertissimè cum S. scriptura, Orthodoxorũ Pa-

trum

trum ſcriptis, ac denique cum experientia ipſa fœdè pugnans. Lubentiùs hoc loco eam hæreſim paucis refutabimus, quia in ſequẽtibus commodior oportunitas non dabitur. Et quãuis non manifeſtè libertas arbitrij neget, neſcimus tamen quẽ ſenſum verborũ eſſe voluerit, Quintanis & Quartanis explicandum. Cuncta enim hîc tam vafrè contexta videas, vt facilè hæreticorum cognoſcas diſcipulum, qui certis quibuſdã amphibologicis ſermonibus in lectorũ animos venena ſubinde inſtillãt. Audi itaque Monhemi, qui arbitrij negas libertatem, audi inquam, quid Geneſis 4. ad Cain Dominus loquatur: Quare (ait) iratus es, & cur concidit vultus tuus, nónne ſi benè egeris recipies? Sin autem malè, ſtatim in foribus tuis peccatum tuum aderit. Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non ignoramus hic Muſculi tui interpretationem. Scimus & Hebraicã veritatem hanc eſſe ſub te תְּשׁוּקָתוֹ, quod ſeptuaginta ἀποστροφὴν αὐτοῦ cõuerſionem eius tranſtulerũt: Alij rectiùs appetitum aut deſiderium eius. Scimus & D. Chryſoſt. hom. 18 in Geneſim per (eius) fratrem Abelẽ intelligere, hoc ſenſu: Etiamſi dona tua meritò contempſerim, non ob id tamen

ius

ius perdes primogenituræ. Tu adhuc fratris tui dominaberis, tu vt primogenitus, & illum & ſequẽtes omnes reges. Dicimus tamẽ ex veritate hæbraica, quam vſq; adeo Muſculus iactat, apertiſsimè arbitrij libertatem colligi: תְּשׁוּקָה enim talem ſubiectionẽ vult, qua vix maior eſt. Senſus itaq; erit: ita tuo imperio ſubijcietur, vt nihil quicquam agere poſſet, teipſo nõ annuente. Sic cap. 3. cùm dicitur ſub viri poteſtate eris, Hebreis eſt וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ, & ad virum tuum appetitus tuus. Quo ſanè modo reliqui fratres nunquàm primogenito fuerunt ſubiecti. Addas etiam hoc, in toto illo Dei ſermone nunquàm fratris fieri mẽtionem, ſed tantùm peccati. Videat igitur Muſculus, quid per appetitum eius intellexerint Hebræi interpretes, quid Rabbi Selomo, quid Rabbi Abraham. Si Hebraizare lubet, videat quid Targum, hoc eſt, Chaldæus paraphraſtes habeat. Sic ille ſcribit: אִם לָא־תְּתוּב וְאִם תְּתוּב יִשְׁתְּבֵק לָךְ, Intelligunt ſcilicet omnes per appetitũ eius, deſiderium peccati & concupiſcentiæ, cui rationem & arbitrij libertatem Deus præfecit. Vide quàm præclarè D. Auguſt. lib. 15. de ciuitate Dei, cap. 7. Tu (ait) dominabe-

ris illius, nunquid fratris? Absit. Cuius igitur, nisi peccati? D. Ambrosius li. 2. de Cain & Abel cap. 7. eandem sentẽtiam posuit in hæc verba: Tu princeps operis tui, &c. Similiter & D. Gregorius lib. 4. Moralium, cap. 22. Albinus in quæstionibus in Genesim. Et quid multis? D. Chrysost. in priori sua expositione non satis sibi placet, quemadmodum hom. 19. videre licet. Hæc idcircò afferre libuit, ne nimis sibi applaudant de Hæbraica veritate aduersarij, vt pro suo arbitratu expositiones veterum se credant posse aspernari. Cæterùm pro arbitrij libertate alia scripturæ testimonia producãtur. Deuteronom. 30. Cùm dixisset Deus, præcepta legis ad obseruandũ impossibilia non esse, inter cætera ita subnectitur: Testes inuoco hodie cœlũ & terram, q̃ proposuerim vobis vitã & bonum, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semẽ tuum. Si eligere iubemur, est igitur libera in nobis voluntas. Sapientiæ 16. Sapientia tua dulcedinem, quam in filios habes, ostendebat, & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur. Clarissimum verò huius rei testimoniũ inuenire est Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit

liquit eũ in manu consilij sui. Deinde: Apposuit tibi aquam & ignẽ, ad quod volueris porrige manum tuam. Quid dici potuit apertius? Atq; vt cætera veteris legis omittantur, audi quid Christus dixerit: Quoties volui filios tuos congregare, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce quanta sit hominis libertas, vt Deo volente posśit non velle. Sed ne diutius his immoremur, apparet certè, hæresim hanc cum quotidiana experiẽtia pugnare. Quis enim in se non experiatur, se velle posse, quod tamen repudiat: & posse reijcere, quod amplectitur. Ad quid fideles vel hæretici infideles cõcionibus, libellis, edictis, adhortationibus, disputationibus, & id genus alijs medijs animos hominum in suam cupiunt sententiam deducere, cur mutandam vitã consulunt, si in eorum facultate mutatio posita non sit? Sanè testis est D. Aug. lib. 5. de ciuitate Dei ca. 9. Ciceronem vt arbitrij libertatem non negaret, diuinam negasse prouidentiam. Verùm enimuerò sunt hic qui respondeant, in moralibus officijs & actionibus plurimum habere momenti arbitrium humanum: in rebus autem ad salutem pertinentibus, parum admodũ, aut nihil. Legant ij Matt. 23.

quæ paulò antè adduximus. Dicunt isti oculati censores, veteres alios vel non satis rectè, vel ambiguè in hac materia locutos fuisse, solum D. August. rectè sensisse: eius igitur nobis sententia reliquis omissis in medium adducenda est. Videant illi libellum 83. quæstionum, quæst. 68. videbunt eum fateri, posse nos nobis tribuere, quòd venerimus vocati, etsi non quòd vocati sumus. Prætereà consulant librum de Spiritu & litera cap. 34. Consentire (ait) vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere potest quilibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat) profectò & ipsum velle credere Deus operat in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos. Cōsentire autē vocationi Dei, vel ab ea dissentiri, vt dixi, propriæ voluntatis est. Hactenus D. August. in libello de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. similis omninò sententia statuitur. Et sanè quamuis nos à diuina misericordia pendeamus, quāuis nihil boni operetur fidelis quod nō efficiat Deus, quamuis non solùm gratia conferatur, vt conuerti possimus, sed etiam vt conuertamur, etsi gratia hæc quę ad operandum necessaria

ceſſaria eſt, & velle facit, non ſit quæcunq; inſpiratio, aut cogitatio ſancta, ſeu boni propoſiti ſuggeſtio, ſed efficax Dei operatio: quamuis hęc omnia vera admittamus, & ex D. Auguſt. varijs libris elici poſſe concedamus: homini tamen ſemper liberum relinquitur, Diuinæ operatiõi prębere impedimentum, eamque vel admittere, vel etiam reſpuere. Sic Irenæus libro 4. cap. 71. & 72. Sic Tertul. li. 2. aduerſus Marcionem, Sic Cyprianus lib. 1. Epiſtola 3. ad Cornelium, & D. Hieron. ad Hedibiam, & Damaſum, & quotquot tandẽ in Eccleſia viri celebres extiterunt: etſi plurimum Diuinæ gratiæ, vt par eſt, tribuant, tamen homini arbitrij libertatem nequaquam adimunt. Cæterùm hoc annotãdum duximus, Deum ſua gratia ſemper prętò eſſe, ſi viderit animũ ad eius ſuſceptionẽ paratum & promptum, ſi nõ reluctantẽ reperiat, vt nullus ſit prorſus, qui vel minimam poſsit excuſationem obtendere. Is enim eſt, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod vtique nõ poſſet dici velle, niſi gratiam omnibus vberem, quo illuc contendant, largiatur ſine perſonarum acceptione. 1. Tim. 2.

Eodem hoc folio, facie ſecunda, ad quę-

ſtionem illam patris, num peccatum originis remaneat in renatis: nihil apertè quidē reſpondet filius, remanere aut nō remanere, ne hereſeos manifeſtè inſimulari queat: ſed vt in cæteris omnibus, ita & hic quoq; ſumma verſutia vtitur, vt tamen quis fuerit eius animus, non obſcurè declarauerit. Fatetur, quātum apparet, *peccatum originale remanere in renatis, ut hinc reddamur humiles, ſimulq; perpetuæ culpæ nos reos eſſe meminerimus, ne animos noſtros aliqua ratione efferre audeamus. Pius enim homo peccatū, quod per imbecillitatē committit, odit & execratur, ſibi ipſi diſplicet, dulcedine legis diuinæ magis ſemper, quàm præſentium uoluptatum blanditijs oblectatur, nec unquam ſciens peccat, niſi repugnante non modò conſcientiæ teſtimonio, ſed etiam cordis affectu.* Hę Monhemius. Noluit (vt verba hęc ambigua illuſtrentur) prorſus à ſententia Lutheranorum diſcedere: quæ ſanè eiuſmodi eſt, concupiſcentiam ex ſe naturaq; ſua peccatum eſſe, quod Deus punire poſsit, ſi modò velit, non ſecùs quàm adulterium, aut aliud ſimile flagitium: nec poſsit Deo non diſplicere, & æternæ damnationis reum facere. In his aūt qui ſunt in Chriſto, licet ſit tale peccatum, quod ęternā damnationem

merca-

mereatur, non tamen imputari, idq; gratia & bonitate Christi. Sic Lutherus, sic post ,, ipsum Bucerus docuit. Nos, inquit, dici- ,, mus, quòd hæc naturæ deprauatio post ,, Baptismum semper, dum in homine inest, ,, Deo aduersatur & displicet, & iniustum ,, Deo odibilem facit. hæc Bucerus. Similia ,, tradit hic, etsi nõ tam apertè Monhemius, ,, quamuis manifesta sit satis sentẽtia: *ideo in* ,, *nobis concupiscentiam hanc relictam esse, ut per-* ,, *petuæ culpæ nos reos esse, in memoriam nobis re-* ,, *digatur*. Catholica verò Christi fidelium Ecclesia secùs hactenus docuit, nempe regenerationis sacramento omnia prorsus, quę peccati rationẽ ꝓpriam subire possunt, penitus deleri, nullumq; manere peccatum: concupiscentiam tamen relictam esse, non vt peccatum sit, nec vt nos reos esse damnationis perpetuæ in memoriam reducat, sed quò stimulum nobis addat, & nos alioqui torpore tabentes ad rectè operandum excitet, & Deum sanctosque precibus flagrantibus pulsemus, & auxilium frequenter deposcamus, animum ad rerum cælestiũ contemplationem magis attollamus, vt agnoscamus præthereà, quãtum malum sit Deum Opt. Max. vel minima inobedientia offendere, dum aduertimus primum illud pro-

toplaſti peccatum, quod cum illo in lumbis eius patrauimus, tantā etiamnùm connexā habere pœnam, qnā maximis ſudoribus reprimere, laboribus ac vigilijs ſuperare, ac totis deniq; animi neruis extinguere conueniat, ne quod peccatū in ſe nō eſt, in nobis peccatum efficere queat: hęc eſt omnium Catholicorum & verorum fidelium ſententia. Nobis itaque iſtud nunc ſolùm probandum reſtat, poſt ſuſceptū Baptiſma peccatum in renatis nullum remanere, vel quod apertum ſit, vel etiam quod tegatur aut operiatur. Hoc enim Diuinæ Chriſti gratiæ vehementer derogat, quaſi is non tantum valuerit, vt conditionem hominis priſtini ſaluti, ſi non quantum ad concupiſcentiæ motus (quibus fidei meritū comparatur) ſaltē quod ad culpam pertinet, reſtituerit. Si plura nobis Chriſtus contulit, quàm Adamus deperdidit vel abſtulit, vt Apoſtolus teſtis eſt, cur non quæſo hanc etiam perfectionem nobis adiecit, vt quicquid in natura relictū erat vitij atque peccati, ſua paſsione penitus aboleret? Mirum profectò, vt qui tantoperè Chriſti prædicatis meritum, qui tantum eius gratiam (vt æquum eſt) ad cælum euehitis, non tamen animaduertatis vos nimis abiectè, ne

Rom. 5.

dicam

dicam impiè, de eadem ſentire. Si ſanè non potuit ex impuris & ſordidis puros reddere, & nitori reſtituere, parum admodùm valuiſſe dicẽdus erit. Cæterùm vt Diuina ſcriptura nos doceat, audiamus Apoſt. diſertè tonantẽ in hæc verba: Per vnius obeditionem iuſti conſtituti ſunt multi. Si iuſti, ergo iuſtitia iuſti, qua animi inſtruuntur & exornantur: qualitas enim, quæ in re ipſa ineſt, nomẽ ei tribuit, ſi Ariſtoteli 2. Topic. & reliquis Philoſophis & Theologis fides adhibenda eſt. Apoſt. prçterea ait: Chriſtus ſaluos nos fecit per lauacrũ regeneratiõis & renouatiõis ſpirit⁹ ſancti, quẽ infudit in nos, vt iuſtificati gratia ipſius, &c. Audin' Monhemi, primo loco peccatorũ remiſsionem, deinde iuſtificationem, quę per ſpiritum ſanctum in fideles abundè effuſum producta eſt? Non potuit quicquam apertius dici, vt tuus cæterorumque conuellatur error. Si enim renouati ſumus & iuſtificati per ſpiritus ſancti, qui in nos effuſus eſt, gratiã, eſt igitur verè in fidelibus gratia ſpiritus ſancti, nec vllum peccatum in renatis remanſit, dum peccatum & gratia planè repugnẽt: vnde Ezechiel ca. 36. Effundam, ait, ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.

Rom. 5.

Ad Tit. 3.

Si mundandi ſint fideles, quomodo adhuc peccato[illegible] n ſordibus cenſebuntur inquinati? Pu[illegible] tia enim hæc ſunt: purgari, & ſordibus conſpurcatos eſſe. Quid autem aliud ſunt ſordes, niſi peccata? Chriſtus hoc ipſum docet, dum ait: Qui lotus eſt, nō indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Significat videlicet Baptiſmum omnes penitus abluiſſe peccatorū ſordes. Sed quia in rebus humanis terra pedibus calcatur, non poſſunt non pedes quotidianis ſordibus conſpurcari, quemadmodum D. Auguſt. eleganter interpretatur. Plura adferre S. ſcripturæ loca nō eſt operæpretium, niſi iuſti voluminis magnitudinē excedere velimus. Solius D. Auguſt. ſententia in medium proferenda eſt, quandoquidem eum aduerſarij exiſtimant rectè hac de re diſſeruiſſe cū D. Paulo, qui ſæpiùs concupiſcentiam hanc peccatū appellat. Sed quod habitat, ait, in me peccatum, &c. Cæterum ſtudioſo lectori nō eſt ſilētio prætereundum, peccati nomen nunc propriè in ſcripturis accipi, quandoque minùs propriè, ſicut & vocula (manus atq; lingua) ad diuerſas aliquando ſignificationes vtimur: manus enī & membrum ſignificat, & ſcripturam: lingua quoq; membrum & idioma deſignat:

Ioan. 13.

Tract. 56. in Euang. Ioannis.

Rom. 7.

Ita

Ita peccatum crimē ipsum & concupiscentiam, quæ tum peccati est effectus, tum si vicerit, peccatum inducit. D. itaq; Paulus voce peccati abutitur, & eodem capite ad diuersas significationes transfert, peccatum impropriè concupiscentiā appellans: quēadmodum satis indicat sentētia illa, Vt fiat supra modum peccans peccatum. Id quippe quod propriè peccatum est, quomodo peccat: non ēm consueuit de abstracto nomine dici concretum, nisi in aliam significationem translato. Nec enim dicimus, albedinem esse albam, aut quietem quiescere, vel aliud huiusmodi. Quomodo igitur peccatum peccabit, nisi impropriè peccati voculam accipias, quemadmodū elegantissimè D. August. pluribus in locis annotauit, qui per omnia Catholicæ doctrinę consentit. Consulatur liber primus contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. Hæc (inquit) concupiscentia etiamsi vocatur peccatū, non vtiq;, quia peccatum est, sed quia peccato factū est, sic vocat. Sicut Scriptura manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autē sunt, quę secundū carnis concupiscentiā vel ignorantiā illicitè fiunt, dicūtur, cogitātur. Et post pauca iterū: Et ideo iam nō sit peccatū, sed sic vocetur,

tur, siue quòd peccato facta sit, siue quòd peccandi delectatiõe moueatur, etsi ei vincente delectatione iustitiæ, nullus præbeatur assensus, & similia plura, quæ sequuntur. Item libro 3. de libero arbitrio, cap. 19. Sicut linguam dicimus non solùm membrum, quod mouemus in ore dum loquimur, sed etiam illud quod huius membri motum consequitur, id est, formam, tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: Ita nõ solum peccatũ illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate & à sciente committitur: sed etiam illud quod iam de huius supplicio consequatur necesse est, &c. Cædò Monhemi, qui ista arrident? Si enim non nisi propriè peccati nomẽ in scriptura positum esse putas, cur sæpius Christus dicitur pro nobis factus peccatũ 2. Cor. 5. Rom. 8. & Ecclesiast. tertio, pro hostia sumitur. Vis iam doceamus eiusdem testimonio, peccatum omne Baptismo reuerà deleri, nec solùm non imputari, vt hæreticis visum est. Libro illo 1. contra duas Epistolas Pelagiani, ca. 13. post verba, quę paulò antè adduximus: Ista ipsa, inquit, carnis concupiscentia in Baptismo sic dimittitur, vt quanquàm tracta sit a nascentibus,

ſcentibus, nihil tamen noceat renaſcentibus, ex quibus nihilominus ſi filios carnaliter gignunt rurſus trahitur, rurſuſque & nocitura naſcentibus, niſi eadem forma renaſcentibus remittatur, & inſit nihil obſutura vitæ futuræ: quoniam reatus eius generatione tractus, regeneratiōe dimiſſus eſt. Et poſt verba, quæ eodem loco ex 2. capite allata conſpicis. Nec propter ipſam, cuius iã reatus lauacro regeneratiõis abſumptus eſt, dicunt in oratione Bap. zati, dimitte nobis debita noſtra, &c. ſed propter peccata, quæ fiunt ſiue in eius conſenſionibus, cùm ab eo quodlibet vincit quod placet, ſiue cùm per ignorãtiam malum quaſi bonum placet: fiunt autem ſiue operando, ſiue loquẽdo, ſiue quod facillimum eſt atq; celerrimum, cogitando. Ita D. Aug. cuius verba prolixius recitare libuit, vt eum ab hæreticorũ calumnijs vindicaremus. Conſimiles ſententias ſi quiſpiã expetat, legat librum primum de nuptijs & concupiſcentijs cap. 23. Ipſa, inquit, concupiſcentia iam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur. Item lib. primo retract. ca. 15. Et lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Tu, ait, qui putas quod ſi malum eſſet concupiſcentia, careret eo qui baptizatur,

ptizatur, multum erras: omni enim peccato caret, non o... malo. Item lib. 1. de ciuitate Dei cap. 25. Lib. 2. de gratia & peccato originali cap. 40. apertissime testatur, vitiosis desiderijs, si eis non consentiatur, peccatum nullum contrahi. Quidnam his respondebũt hæretici? Axioma quoddam magna dinosi ac pondere ꝓponunt: Quicquid legi Dei repugnat, peccatum esse, cuiusmodi concupiscentiam esse asserunt D. Paulum ad Romanos 7. testari: ergo proprij nominis peccatum est concupiscentia praua. Quid si ex hoc vestro pronunciato colligamus: ergo etiã & vos hæretici ac infideles (sic enim error vester vocandos esse conuincit) peccata propria estis, quia cum Diuina lege, cũ scriptura Sacra, quam vsq; adeò ore iactatis, cũ maiorum institutis, & cum omni deniq; bonitate plus quàm concupiscentia pugnatis: ergo etiam dæmon peccatum est, & quilibet eius imitator, quibus hoc proprium est, vt diuinæ legi aduersentur. Sed peccatum nihil est, peccatum est priuatio & boni absentia, voluntatisq; à diuina lege auersio, tamque est voluntarium, teste D. Bernardo, vt si voluntas non foret, neque peccatum esset. Hac eadem de re consule D. Aug. lib. 1. Retract. cap. 15. Si longio-

longiorem hac de re materia tractationem aliquis deſideret, legat quæ anno 1545. in defenſionem iudicij Vniuerſitatis & cleri Colonienſis aduerſus calumnias Melāthonis, Buceri, Oldendorpij, aliorumq́; ſimiliū, ſcripſerit Reuerend. Pater, D. Euerhardus Billickius, huius Almę Vniuerſitatis egregium columē, inueniet hanc materiam diffuſè ſatis ac catholicè, & ſolidè tractatā. Cæterum hoc adijciendum eſſe putamus, quomodo Tridentinum Concilium cum ijs agat, qui Monhemio ſubſcribunt, ſeſs. 5. canone 5. Hanc concupiſcētiam, quam aliquādo Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Eccleſiā catholicam nunquàm intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatū ſit: ſed quia in peccato eſt, & peccatū inclinat. Si quis autem contrarium ſentiat, anathema ſit.

Folio nono, facie ſecūda, apparet Monhemium aſſerere, peccato imaginē Dei deletam eſſe. Hoc quamuis fortaſſe ex Origine deſumpſit, melior eſt tamen D. Chryſ. interpretatio, qui imaginem ad naturam, ſimilitudinē ad pietatem refert. Conſiſtit enim potiſsima imaginis ratio in naturæ, nō in qualitatis repræſentatiōe: potius igitur

tur in intelligẽdi & volendi natura, quàm in iustitia, quæ tametsi in Deo non secùs substantia sit, quàm cætera quæ in eo esse dicuntur, in homine tamẽ accidentia sunt, & vt accidẽtia in Deo à rudioribus apprehenduntur. Hæc obiter annotare placuit, quia quo animo hæc sententia posita sit, nobis non admodum exploratum est, nisi quod plus satis naturæ conditionẽ in omnibus conentur hæretici deprimere. Ex ea tamẽ sententia aliquis colligat, hominem verè iustum esse in hac vita per iustitiã inhærentem, quia imaginem Dei pietate refert. Imago autẽ propter externum quippiam imago non est, sed per aliquid internum: quapropter non solùm imputatur iustitia, sed reuerà adhærescit & inest.

IN DIALOGVM III.

DE LEGE.

PRimum quod hic notãdum occurrit, est sententia 10. folio, facie 2. posita. *Nemo quãtumuis perfectus præstare potest, quod lex iubet*: quã in præcedẽti facie paulò latiùs excussit, *Nobis quidẽ ex necessitate incumbere, ut legẽ perficiamus, nõn tamẽ id nos posse, quod solus potuit Christus, qui solus totam legẽ impleuit.*

Hæc

Hæc omnia verba ambigua ſunt, & vafrè, vt apparet, congeſta. Duplicē enim ſenſum admittunt, alterum catholicum, vtpote hominem ſine Diuinæ gratiæ auxilio legem implere nunquàm poſſe, quod vtique nullus negabit: imò non hoc ſolùm fatentur veri Chriſtiani, ſed illud quoq;, nihil poſſe quenquam operari quod bonū ſit, quodue rationem hābeat veræ virtutis, niſi non generale tantummodò diuinum auxilium preſtò ſit, ſed peculiari gratia fulciatur, roboretur, ac omninò adiuuetur. Alterū ſenſum hæreticum admittunt, Hominē Diuina gratia inſtructum, charitate ornatum, non poſſe legem in hac vita implere, nec poſſe ea efficere, quæ Deus à nobis fieri velit. Hunc ſenſum amplexum eſſe Monhemium, ne à ſuis degeneraret, indicare videtur vocula (perfectus) *Nemo*, ait, *quantumuis perfectus*: & poſteà, *nunquàm in hac uita legis perfectionem aßequi poßumus*. qua in re admiramur vehementer hominum iſtorum impudentiam, miramur ſtupiditatem, ſtupemus iudicij impotentiam, vt vereamur ne ſenſu communi iam tandem deſtituantur, quotquot ad hanc hæreſim ſeſe cōuertunt. Non animaduertunt ſeſe pugnare ſecum, & gratiæ Chriſti plurimum detrahere atq;

iniuriari, qui aliàs tantoperè Christum ac gratiam eius extollunt, nunc adeò deprimunt, vt plus videatur apud illos Adæ inobedientia nobis ademisse, quàm Christi passio & gratia restituere possit: quod superiori Dialogo falsum esse commonstrauimus. Insuper, án nó videtur Deo maximam inferre contumeliã, qui eum tam iniquum reputat, vt iussisse dicat aliquid, quod implere nemo possit? Nemo tantam impietatem in homine ferat, vt seruo alicui imperet, quod absoluere non possit, & tamẽ nisi præcepto obtemperet, supplicia intermine tur. Quis sapiẽs (ait Chrys. in opere imperfecto, hom. 12.) ponit illi præceptũ, qui etsi vult, non potest obedire? Quis ergo est hic blasphemus, qui tantam vel inscitiam, vel iniquitatem Deo misericordiæ ac mansuetudinis fonti audeat impingere? Rectè D. Hierony. in explicatione Symboli ad Damasum: Execramur, ait, eorũ blasphemiam, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in cõmuni posse seruari. Hæc cõtumelia, quę Deo tam ignominiose irrogatur, nulla ratione ferenda est. Verùm agè Monhemi, vel scripturis tecum agamus. Deutero. 30 paulò ante verba illa,

illa, quæ tu hic nobis protulisti, Mandatū (ait Moyses) quod ego precipio tibi hodie, nō est supra te, neq; procul positū, nec in cœlo situ̅, vt possis dicere, quis nostrum valet in cœlum conscendere, &c. sed iuxta te est sermo in ore & corde tuo, vt facias illum. Si in corde nostro sit vt faciamus, non est itaq; illic frustra, sed ad opus poterit deduci. Putatis Dauidem Regium illum prophetam, & virum secundū cor Dei, qui tempore imperfectæ synagogæ vixit, Diuinam legem nunquàm impleſſe. Seruaui (ait psalmo 118.) mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo sunt semper. Et Ezechias 4. Regum 20. Memento Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quæ placita sunt tibi egerim. De Zacharia & Elisabet fatetur D. Lucas cap. 1. fuiſſe ambos iustos, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Hi omnes, qui ad vetus instrumētum pertinebant, si Dei mandata impleuerunt, cur non hoc ipsum post Dominicam illam passionem licebit? an modò fidelium conditio reddita est deterior? Audi D. Paulū ad charitatem adhortantem: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nullusne est Chri- Rom. 13.

 stianus,

ſtianus, vel ſaltem fuiſſe credendus eſt, qui proximũ dilexit? num Paulus, qui anathema pro fratribus ſuis eſſe voluit? aut Moyſes, qui deleri de libro vitę? nõ Stephanus, qui pro perſecutoribus orauit, quamuis lapidibus obrutus? non Ioannes Apoſt. cui ſemper in ore fuiſſe ſcribit Euſebius, Filioli, diligamus inuicẽ? non Apoſtoli reliqui, qui charitatem docendo non ceſſabãt ſanguinis effuſione cõfirmare? Rectè D. Aug. in pſalm. 70. & 118. ait, dilectione impleri mãdata Dei, quæ timore nõ poterant. Non diffitemur, difficile eſſe, cerimonias omnes legis ſeruari poſſe vt olim, ita etiã poſt Chriſti aduentum: quemadmodum D. Petrus fatebatur. Sed ſi iugum Chriſti ſuaue eſt, ſi onus eius leue, ſi præcepta eius grauia non ſunt, vt ait D. Ioannes, cur obſecro impoſsibile fuerit, Diuinam legem perficere? Certè ſi amanti nihil difficile, iuxta D. Bernardi ſentẽtiam, quotquot iſta negare audent, argumento manifeſto oſtendunt, quàm ſint parum charitate ſuccenſi. Veteres omnes verè ſancti, ac amore Dei flagrantes, nunquàm aliter docuerunt. Conſule, ſi placet, D. Baſilium cap. 83. in regulis Monachorum, & in quæſtionibus compẽdio explicatis, quæſtione 176. & in Concione

Rom. 9.
Exod. 32.

Act. 15.
Matt. 11.
1. Ioan. 5.

cione ad diuites. Item D. Hieronymum in explicatiõe Symboli ad Damasum, & contra Pelagianos, maximè libro 2. D. Augustinum, sermõe 61. de tempore: Deus, inquit, neq; impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est. Vide & sermonẽ 59. Item lib. de natura & gratia, cap. 43. & ca. 69. D. Chrys. de laudibus D. Pauli, hom. 7. Possibile est Dei iussa perficere, si modò velimus omnẽ naturæ trepidationem alacriter virtute superare, nihilq; impossibile est eorum, quæ à Christo imperantur. Totius istius erroris causam ex eo manasse constat, quòd concupiscentiã cõtinuum peccatum esse falso sibi persuadeant, atque cum præcepto illo pugnare, Non concupisces. Verùm abundè huic in præcedenti dialogo satisfactum est. Illuc itaq; redeat ingenuus lector, & quid D. August. de eo præcepto dicat, libro de Spiritu & litera, ca. 29. consulat. Hæc Monhemi vtvt tandem scripta tua intelligi volueris, dicere placuit. Nam absolute dicendum non est, non posse quenquam quantumuis perfectum legem præstare, cum D. Paulus nulla exceptione addita dicat, Gentiles, quæ legem non habent, naturaliter ea Rom. 2.

quæ legis ſunt facere: etſi illic gratiam non excludat, eosque fideles intelligat, qui ex Gentibus conuerſi ſunt: ſi rectè D. Aug. libro de Spiritu & litera, cap. 26. hũc locum interpretatus eſt. Adde Tridentini Concilij decretũ cap. 18. ſeſsionis 6. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia cõſtituto, eſſe ad obſeruandũ impoſsibilia, anathema ſit. Similia in præcedentibus Concilijs conſtituta inuenias. Vide Concilium Arauſicanũ alterum, cap. 25. tempore Leonis primi celebratũ, vt omninò intelligas, quàm multis nominibus damnanda ſit iſta hæreſis.

Folio vndecimo, facie prima obiter notandum eſt, quòd ait primo præcepto, aut ſaltem priori tabula prohiberi, *ut nullæ prorſus cogitationes, nulla deſideria, nulla ſtudia inſint nobis, quæ huic amori aduerſentur.* Si intelligat, non eſſe adhibendum talibus cogitationibus cordis aſſenſum, fatemur veriſsimè dictum eſſe: ſi verò eum velit ſenſum, quem ſub finẽ huius articuli ſignificauit, vt nec primi quidem motus in nobis citra peccati noxam eſſe debeant, etiamſi præter cogitationem irrepant, aperta hæreſis eſt, quæ paulò antè eſt explicata atque conuulſa.

Folio decimoquinto, facie prima dicit, pri-

primum præceptũ eos transgredi, qui Sanctos qui ex hac uita migrarunt, inuocant. Quã ſententiã etſi nemo pro meritis ſatis abominari queat, quòd nõ nobis tantùm mortalibus, ſed & cæleſtis patriæ incolis ſummam irroget iniuriam: differemus tamen, ſi placet inge nue lector, in dialogũ 6. de Oratione, quãdo copioſiùs Monhemius eam explicare, & argumẽtis probare contendet, quæ nos ad vnũ omnia facilè diluemus, vt veritas manifeſtior euadat.

Eodem loco ſic habet: *Deo certè eripitur, quicquid honoris qualicunque colore exhibetur imaginibus.* Si iuxta latini ſermonis proprietatem ſenſum huius aſſertionis metiri velimus, hęc erit Monhemij inſtitutio, quòd nulla ratione, quęcunq; ſit tandem imago, vllo honore affici, non in publicis ſupplicationibus populi Chriſtiani deuotione circumferri, non cereis accenſis, non flexis in terram poplitibus, preces ante eas fundi, non auro aut gemmis, aut alijs id genus clenodijs exornari debeat. Noua eſt hæc doctrina, & non tam noua, quàm recens à quibuſdam neſcio præſtigiatoribus ab inferis excita. Damnata eſt totius orbis generali Cõcilio, damnata eſt certis rationibus,

imò & naturali omnium iudicio. At Ecclesiæ doctrina proposita, quid veritatis Monhemij assertio contineat, diligenter perquiramus. Hactenus ab Apostolorum temporibus hoc seruatum à veris Christi fideli bus cõperimus, vt sanctæ crucis signa, Christi, Sanctorumq; imagines varias ob causas asseruarentur, vt dum eas cõtemplamur, in memoriã reuocemus acerba Christi suppli cia, quæ inexhausta charitate nostri gratia non dubitauerit sustinere. Eiusque & sanctorum vitam imitemur, eorum charitate ad Deum pari modo amandum extimulemur, ac inflammemur. Rude enim & indoctum vulgus imaginibus pro literis vtitur, similiter & homines alioqui docti plus ijsdem quàm libris subinde mouentur, vt preterea charitatẽ nostram, qua in Deum sanctosque ferimur, nõ obscurè testemur. Solent enim homines, quos amant, eorum semper præsentiã diligere: quos si aliquando abesse contingat, absentiæ solatium ab imaginibus accipiũt. Videmus vxores maritis hunc amorem atque honorem deferre. Videmus hoc ipsum apud omnes mortales passim obseruari. Illas porrò imagines, in quibus amicos absentes contẽplantur, non sordido, sed honestiori loco repo nunt:

nunt:hoc ſibi perſuaſum habentes, ſe amicis exhibere,quicqd imagini abſentis præſtant honoris. Expende, num veteres Romanorum imperatores in eo honoris aliquid ineſſe putarint,ſi ſtatuæ eorum in varijs decentioribusque locis conſtituerentur,num etiam ſibi id contumeliæ irrogari exiſtimarint,quæ imaginibus inferebatur. Hoc natura dictat, vt iniquo animo feramus, inhoneſtè eorum imagines tractari, quos ſingulari complectimur amore: Contrà verò eorum imaginibus libēter aliquid ignominiæ inferimus, quos ſummoperè deteſtamur.Docebunt hoc te pueri,qui natura duce cùm aliorum imagines venerentur, tamen cacodæmonem ſi depictum videant, vel quem alium norunt Chriſtianæ religionis inimicum,cuiuſmodi erant, qui Chriſtum & ſanctos interemerunt, vel expungunt,vel conſpuunt,vel ſordibus obliterant, veluti à natura edocti nōnihil ſeſe de inimico vlciſci, ſi imaginem eius contumeliæ nota deſignent. Sed vt hæc puerilia miſſa faciamus. Si venerandæ imagines non ſunt, qui obſecramus factum eſt,vt in Saxoniꝫ quodam templo à Dominica cruce ſanctiſsimæ Virginis matris, & D. Ioannis Euāgeliſtę ſtatuas amouerint,eorumq;

loco Martini Lutheri & Pomerani statuas substituerint? (O blasphemiam nō solùm visu, sed & auditu horrendam) án ne maiores illi vestri Luthero se honorem exhibere arbitrati sunt, cùm id in Diuorum ignominiam, & damnationis suæ cumulum facerent? Qui fit, quòd in publicis œnopolijs, nō in obscuris locis, sed in honoris indicium, Lutheri aliorumq́; imagines conspectui exponere liceat: Christi verò Seruatoris nostri atque sanctorum, qui ipsius vestigia insecuti sunt, nō liceat in templis collocare? Certè Monhemi, in quibusdam nō ignotis regiōibus ad principis sui nomen omnes caput aperiūt, ergo profectò in Ecclesia Christiana hoc idem fieri conuenit, vt salutiferum Christi nomen exprimitur, & vt imagines eius atq; Diuorum vidētur: plus enim quàm solū nomen imagines indicant, & procliuiùs quod diligimus repręsentāt. Sed dices fortassis, Deus Spiritus est, & qui eum adorāt, in Spiritu & veritate oportet adorare: nō est homo, qui humanis moribus gaudeat, aut multis externis gestibus: non igitur parandæ sunt imagines, vt ipsum hac ratione colamus, veneremurque. Non dubium, quin spiritus sit Deus, verùm cùm spiritus ipse sit, nos tamen homines,

mines, à nobis vt ab hominibus honore vult affici: vult itaq;, vt eum omninò modum in ipso colēdo seruemus, quem apud nos homines arbitramur esse maximum: vult externis corporis gestibus coli (non enim malè Abraham ad Dei aduentum in terram prostratus est: nec malè egerunt Magi, dum procidentes adorarent Christum) vt tamen ab intimo cordis affectu gestus illi proficiscantur. Cæterùm vt nunc illud latiùs aliquantum ostēdamus, quàm antiquus fuerit imaginū vsus in Ecclesia, quem etiam nunc Christi fideles obseruant, Age, hystorias consulamus. Imprimis miranda quædam refert de Christi imagine Eusebius, lib. 7. hystoriç Ecclesiasticç, ca. 14. quam in eius honorem mulier attactu fimbriæ eius à sanguinis profluuio curata, erexerat. Eadem habet Nicephorus Calixtus. Sed Eusebij verba, quia multa non iniucunda continent, lubenter referemus. Mulierem, ait, quam sanguinis profluuio laborantem à Saluatore curatam Euangelia tradiderūt, huius vrbis Cæsareæ Philippi ciuem cōstat fuisse, domusq; eius in ea etiā nūc ostenditur: ꝓ foribus verò domus ipsius basis quędā in loco editiori collocata lustrat, in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ, pal-

Genesis 18
Matt. 2.
Matt. 9.
Li. 6. ca. 15.

palmasq́; ſuppliciter tendentis imago ære videtur expreſſa. Aſtat verò alia ęre nihilominùs fuſa ſtatua, habitu viri, ſtola compta circundati, & dexteram mulieri porrigentis: huius ad pedē ſtatuæ è baſi herba quædam noua ſpecie naſcitur, quæ cùm exorta fuerit, excreſcere vſque ad ſtolæ illius ærei indumēti fimbriam ſolet, quam cùm ſummo vertice creſcens herba cōtigerit, vireis inde ad depellendos omneis morbos languoresq́ue acquirit, ita vt quæcunque illa fuerit infirmitas corporis, hauſtu exiguo madefacti ſalutaris graminis depellatur, nihil omninò virium gerens, ſi antequàm æreæ fimbriæ ſummitatem creſcendo contigerit, decerpatur. Hanc ſtatuam ad ſimilitudinē vultus IESV formatam tradebāt, quæ permāſit ad noſtrā vſq; tempora, ſicut ipſi oculis noſtris inſpeximus. Et nihil mirum, ſi hi, qui ex Gentibus crediderunt, pro beneficijs, quæ à ſaluatore fuerant conſecuti, huiuſmodi munus videbantur offerre, cùm videamus etiam nūc Apoſtolorum Petri & Pauli, & Saluatoris imagines deſignari, tabulasq́ue depingi: ſed & antiquas ipſorum imagines à quibuſdam conſeruatas nos vidimus, quod mihi videtur ex Gētili conſuetudine indifferenter obſeruatum,

tum, quòd ita ſoleant honorare, quos honore dignos duxerint: inſignia enim veterum reſeruari ad poſterorũ memoriam, illorum honoris, horum amoris indiciũ eſt. Hactenus Euſebius. Vide, ſi placet, vt in honoris teſtimoniũ mulier Chriſto ſtatuam erexerit, atq; id factum Deus ſingulari miraculo approbauerit. Scripſit hæc Euſebius fideliſsimus hyſtoriographus, ante annos 1200. Et tu cum neochriſtianis alijs audes impudenter tanquàm neotericum aliquid imagines repudiare ac proculcare? fortaſſe ſi tunc Iuliano Apoſtatæ adeſſe te contigiſſet, illi in cõfringenda hac ſtatua opem tuliſſes. Hoc vnicum teſtimonium conuellendo huic errori ſufficeret, niſi clariùs rẽ demonſtrandam eſſe exiſtimaremus. Nicephorus lib. 2. cap. 7. teſtis eſt, Chriſtum Abgaro (vel vt alij legunt Abagaro) faciem ſuam linteo impreſſam trãſmiſiſſe, per quam ſtupenda miracula etiam Iuſtiniano imperante facta eſſe compertum eſt, vt idẽ narrat lib. 17. ca. 16. hac eadem de re vide eundem lib. 7. cap. 30. 33. 37. 46. 47. & maximè 49. cum ſequentibus: prætereà lib. 8. cap. 3. 4. & 32. Item lib. 18. cap. 20. & 21. Verba breuitatis cauſa omittimus. Conſulat ſtudioſus lector, quæ de imagine crucis ſcripſerit D. Atha-

D. Athanaſius nobiliſsimus ille græcus ſcriptor, & fidei Catholicæ acerrimus propugnator, Tomo 4. in exhortatione ad Monachos, vt ſibi Chriſtus factum cenſuit, quod eius ſtatuæ irrogabatur. Hiſtoria eſt memoratu dignisſima, ſed nobis prolixitas fugienda eſt. Docet illic, ſtatuam eam Nicodemi, Zachæi, & aliorum primorum chriſtianorum vſibus fuiſſe vſurpatam. Simon etiam Metaphraſtes teſtis eſt, D. Lucam Euangeliſtam imagines S. matris Chriſti artificioſe delineaſſe, quas etiamnum Romani ſumma veneratione colunt. Habet idem in vita D. Alexij, eum vt in ciuitatem Edeſſenam veniſſet, imaginē Chriſti Abgaro miſſam fuiſſe contuitum. Quomodo etiā crucis Dominicæ ſignū omnes ſint veneratiōe ſumma proſecuti, vide quid apud Caſsiodorum lib. 2. Tripartitę hyſtoriæ, cap. 19. narret Zozomenus, quidque Ruffinus lib. 11. Eccleſiaſticę hyſtor. ca. 29. D. Chryſoſt. hom. 16. in Matt. Monet vt in parietibus, feneſtris, & fronte, magno ſtudio crucem inſeramus. Conſule eundem hom. 12. in priorem ad Timot. Epiſtolam. Et ſi antiquius deſideres teſtimoniū, vide Tertullianum lib. 2. ad vxorem, qui ſuadet, ſumma veneratione crucem colēdam eſſe, & ni-

Huius hyſtorię mētio fit in 2. Synodo Nicęna. Actiōe 4.

In vita D. Lucæ.

& nihil agi consuetũ esse à Christianis, nisi sese signo crucis primùm communirent, tanquàm hoc signum manu factũ ad effugandas iniquorum spirituum insidias, plurimum haberet momenti. Quod & Iulianus ille impius Apostata facto ostẽdit. Nam vt in specum quandã dæmonibus horrendam esset ingressus, signo crucis edito ad vnũ omnes effugarat. Vide Cassiodorum lib. 6. historię tripartitę cap. 1. Consule etiam quid D. Athanasius habeat de D. Anthonio, cuius vitã graphicè descripsit, quo pacto dæmones signo crucis sæpissimè abegerit. Item quomodo D. Hilarion, teste D. Hieronymo, puer adhuc hoc signo dæmonum omnium vires debilitarit. Refert Damascenus, qui ante annos 1000. floruit, in vita Barlaam & Iosaphat, dæmones vel inuitos esse confessos, se vexillum Dominicæ crucis sustinere non posse. Habet idem lib. 4. de fide orthodoxa, imaginum vsum ad nos ex Apostolorum traditione deuenisse. Plura vide in libris illis tribus, quos aduersus te tuosq;, qui imaginũ cultum criminamini hic idem conscripsit. Si tanta est crucis Dominicę efficacia, vbi manu tantũmodò in aere fluido imprimit, cur non eadem erit, si in tabellulis delineatur? Cur nõ

ea n-

eandem liceat honore afficere, quam & pij hactenus amplectuntur, & impij dæmones vsqueadeò horrent? Si plura desideres testimonia, cosulendus erit D. August. lib. 2. de Symbolo, lib. 4. de Sancta Trinitate, ca. 15. Libr. 22. de ciuitate Dei, cap. 8. Item in psalm. 141. Tractatu 118. in Euangelium Ioannis, Sermone 19. de Sanctis, & alijs innumeris locis, quæ huc adferre non est necesse. Sed hæc de Christi imagine & Dominica cruce, quam tanti semper fecisse veteres, ex superioribus constat. De Sanctorum modò imaginibus audi quid D. Ambrosius in vita Geruasij & Prothasij his verbis scribat: Tertia, inquit, nocte defecto ieiunijs corpore, non dormienti, sed stupenti cum quadã tertia persona mihi Sancti hi apparuerunt, quæ similis esse D. Paulo videbatur, cuius me vultũ pictura docuerat. Hinc colligis, celeberrimum hũc Antistitem sibi Apostoli imaginem fecisse familiarem, quam sępiùs depictã viderat. Michael Syngelus (cuius & Suidas meminit) testis est, Dionysium Areopagitã illos corripuisse, qui imagines abrogare conabãtur. D. Gregorius lib. 7. Epistolarum, cap. 53. plurima scribit notatu digna de imaginum cultu, & cap. 19. cùm aliquem acriùs corriperet, quòd

quòd imagines confregerit, inter cætera ſic loquitur: Ideo pictura in Eccleſijs adhibetur, vt hi qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ in codicibus legere nõ valent. Theophanes itidem oratione in exilium D. Nicephori Patriarchæ Hieroſolymitani: Vtilis eſt, inquit, ſanctarum imaginum vſus, iam inde ab initio inſtitutus, & per manus traditus. Audíſne hunc vſum ab initio inſtitutum, & per manus traditũ? Addit deinde, S. Nicephorum hunc vſum antiquiſsimum eſſe, multis ſermonibus & ſcripturarum teſtimonijs demonſtraſſe. Nicephorus etiam Calixtus lib. 2. cap. 33. teſtatur, vt quondam Gentilium naues certorum quorundam Deorum inſignia gerebant, ita Chriſtianorum quoque naues patronorum ſuorum imagines præferre cõſueuiſſe. Quid memoremus D. Baſilium adhuc apertius loquentem, aduerſus Iulianum apoſtatã in hæc verba: Sanctam Mariã cõfiteor, ſuſcipio S. Apoſtolos, martyres, &c. qui pro me apud Deum ſupplicãt, quò per illorum mediationem propitius mihi ſit Deus: quam ob cauſam & hyſtorias imaginum illorum honoro, & palàm adoro: hoc enim nobis traditum eſt à S. Apoſtolis. Agè nunc Monhemi, quinam tibi

Hanc ſententiã recitarũt patres in 2. Cõcil. Nicæn. act. 2.

E teme-

temeraria iſta tua contra tot procerum Ec-
cleſię ſcripta aſſertio placere poteſt? Si deſi-
deres generalia totius orbis Concilia, con-
ſule Nicænum ſecundum, actione 2. 3. 4.
& 6. reperies plurimas autoritates, quas
nunc adducere nimis longum eſſet: adde-
mus tamen breues Concilij definitiones,
vt quid de te tuique ſimilibus dicatur, per-
Actione 1. ſpicuè cognoſcas: Qui venerandas imagi-
nes non veneratur, anathema: Qui in San-
ctas & venerabiles imagines blaſphemias
congerunt, anathema: Qui traducere & ma-
ledicis verbis inceſſere audēt venerabiles
imagines, aut eaſdē reijcere, anathema: Qui
ex animo Chriſtianum populum non do-
cent, venerationem ſanctorum & honora-
bilium imagines omnium ſanctorum, qui
ab initio Deo placuerunt, anathema. Chri-
ſtianorum accuſatoribus, aut iconoclaſtis,
hoc eſt, imaginum demolitoribus, anathe-
ma. Vide ſimilia ferè in 7. generali Synodo
actione 7. & in 8. actione. Similiter canone
3. & 7. nam 3. canone vult Concilium pari
honore Chriſti imaginē cum ſacris Euan-
geliorum libris adorandam eſſe. Verùm di-
cent fortaſſe aduerſarij, nos in primum Di-
uinæ legis præceptum grauiter impingere,
quo videtur omnis prorſus imago & ſcul-
ptiſe

ptile vetari, tam Dei, quàm Sanctorũ, imò creaturarum omnium. Non legit Monhemius Synodum 2. Nicænam, quę fuit septimum generale Concilium 350. Episcoporum, actione 7. Quicunq; sententias S. scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema. An existimas sanctissimum ac celeberrimum illum Episcoporum cœtum, quid primo præcepto vetaretur, non intellexisse? An id solùm tuo Catechismo reseruatum fuisse putas, quemadmodũ discipulus tuus Breidbachius in Carminibus temerè indicare videtur? Nũquàm absolutè Deus, nec in veteri, nec in noua lege alicui imaginum vsu interdixit, alioquin nec Cherubin facienda erãt, quæ obumbrarent propitiatorium, nec serpens æneus attollendus: ac proinde vt magis adorationem, quàm imaginum vsum prohibere censeretur, ac hæreticorum calumnias excluderet, addidit primo præcepto, Vt adores illud. An verò Christiani in ligno aut lapide Diuinitatis aliquid inesse existiment, vide Actionem 7. Concilij 7. generalis, sub his verbis: Qui dicunt, quòd Christiani imagines vt Deos adorant, anathema. Qui venerandas imagines idola appellãt, anathema. Nihil quidem nos numi-

nis in ligno aut lapide ſtatuimus, ſed in vnum Deum ſpe a omnem noſtram & fiduciam collocamus. Verùm ob id imagines veneramur, quòd ſciamus iuxta Baſilij ſententiam, imagini honorem exhibitum ad ipſum prototypũ referri. In imagine Chriſti non lignum vel lapidem, ſed Chriſtum veneramur, atq; in imaginibus Sanctorum reliquorum, eoſdem Diuos colimus. Dum ſtatuas illas ligneas veneramur, dum maxima populi comitante caterua circumferimus, dum cęreos illis accendimus, non exiſtimamus in ligno Diuos ineſſe, ſed eoſdẽ illos repræſentari. Circumferimus itaque ſtatuas, exiſtimãtes hinc Sanctis nonnihil honoris accedere, ſi magna ſolennitate ipſorum imagines, magno hominum comitatu, ac denique maxima veneratione colantur: ſcimus enim principibus hoc ſemper gratum fuiſſe, vt illis publici decernerentur honores: nõ ſumus neſcij, quantum honoris Ciceroni accreuerit ad Iouis puluinaria proceſsiſſe. Teſtamur his ceremonijs nos implorare Sanctorum præſidia, vt nobis apud Deũ ſuis orationibus opem ferant: Lumina illis accẽdimus, vt qui dum viuerẽt virtutibus fulſerunt, nobis quoq; apud Deum precibus verum fidei lumen &

Nicena 2. Act. 3.

chari-

charitatis ignem impetrent, vt & alijs vitæ integritate præluceamus, & in pectoribus nostris veræ dilectionis ardor accendatur. Si quis igitur vel tuo Monhemi, vel aliorum quorumuis suasu, pias istas cõsuetudines supplicationum atque cereorum vsum abrogare studeat, videat quàm probè cũ veteri illa Ecclesia conueniat, in qua nouimus, D. Gregoriũ ante multos annorum centenarios S. Virginis Mariæ imaginem (quam Metaphrastes D. Lucã pinxisse testatur) summa totius populi Romani veneratione ad sedandam pestem circumtulisse, quando & è cęlis Angeli veluti gratulabundi hymnum illum, Regina cœli lętare, cum multorũ stupore decantarunt. Profectò si verum fateri fas est, & illi qui hæc temerè abrogãt, & qui abroganda esse consulunt, Dei imprimis, & omnium Diuorum honori plurimum detrahunt, sicut posteà explicatiùs dicemus. Quantò cõsultius foret, pias Ecclesiæ ceremonias commendare, quàm temerario ausu, quod piè hactenus seruauit reprehẽdere. Illud si a te Monhemi, fieri conspiceremus, multum & emolumenti, & iocunditatis, & admirationis tam tibi, quàm discipulis tuis adferres, si & seriò expenderes, quanta prudentia maio-

D. Antoninus hæc habet.

res nostri in ritibus omnibus instituendis & obseruandis sint vsi: sed quia mauis in tuo quàm aliorum iudicio acquiescere, Dei simul & Diuorum omniũ indignationem, & extremam tandem perniciem concilia-bis, nisi factorum aliquando ex animo pœniteat. Nec est, quòd elabẽdi excusationem prętexas ob factum Ezechię Regis, qui serpentem æneum confregisse legitur: hoc enim nullo pacto tuo errori astipulať. Nam id rectè factum est, dum populus ille Israëliticus ad idololatriam propẽsissimus, serpenti diuinos decerneret honores: & iam non vt Christi figuram & vmbram, sed vt Deum verum, sicuti vitulum aureum adoraret. Non est quòd anxius sis, ne hæc in populo Christiano eueniant: aliter enim edoctus est, priusquàm vel tu, vel tuus Catechismus in lucẽ prodiret, vt te instructore, ne dicam subuersore, omninò non indigeat. Sacerdotibus id muneris incumbit, vt veritatẽ & Ecclesiasticos ritus ad viuum publicis cõcionibus aperiant: tuum etiam esset hoc, ipsum concreditum tibi gregem docere, & ab erroribus, quos te fortasse doctore semel imbibit, rursum vindicare, & immunem reddere.

In explicatione 6. præcepti, facie 24. habet

bet hæc verba: *Qui se continere non possunt, matrimonium in Domino contrahant: melius est enim nubere quàm uri.* Si de ijs hæc dicta velit Monhemius, qui adhuc soluti nullo se castitatis voto astrinxerunt, veritatem habet assertio, quamuis ex consilio D. Pauli melius esse putemus manere, vt ipse permansit, & cum illo virginitatem cõiugio anteferre: Si verò, quantum ex reliquis colligere licet, omnes promiscuè intelligi velit, tam eos qui voto sunt obligati, quàm qui sunt liberi, non possumus non summoperè veluti impiam hanc detestari sentẽtiam, qua Monhemius nihil aliud agit, quàm vt omnibus sacerdotibus ac virginibus semel Deo dicatis, impudicitiæ ianuam aperiat, ac omnis libidinis faces administret, simul & licita esse suadeat, quæ & diuina scriptura, & historię, & S. Doctores, ac deniq; Cõcilia illicita esse constanter docẽt, nec vnquàm nisi cum salutis æternę dispẽdio amplectenda esse: dum enim hi sua sponte castitatem Deo consecrauerunt, fieri non potest, vt eam mulierum consortio contaminare sine grauissimo peccato queant. Non nostram, sed Dei audi sentẽtiam: Cùm votum voueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus

1. Cor. 7.

Deut. 23.

Deus tuus:& si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris: quod autē semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino deo tuo, & ꝓpria voluntate, & ore tuo locutus es. His concinit Ecclesiastes 5. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcunq; voueris redde, multóq; melius est non vouere, quàm post votum promissa nō reddere. Similia reperias Numerorum 15. 6. & 30. Sic & Leuitici 17. quater docet Dominus, vota reddenda esse. Item Deut. 12. Iudicum 11. Esaiæ 19. Si neque hæc suffecerint, audiamus virum secundum cor Dei, Dauidem Prophetam illum Regium, num vlla ratione arbitretur vota infringenda esse, dum ait: Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Optamus, vt verba prophetæ iusta lance, vt decet, trutines, ac diligenter expēdas. Non solùm non dicit vota Deo persoluenda esse, sed etiam suadet vt voueamus, quò nos omnes ad maioris meriti incrementum, & gloriæ æternæ splēdidiorem coronam inuitet. Nec his contentus, præcipit psalm. 49. pollicitis respondendum esse: Redde (inquit) altissimo vota tua. Hoc mandatum quanti fece-

fecerit D. Chrysost. non obscurè indicant hæc eius verba: Suadet, inquit, Propheta, vt in oratione assiduè perseueremus, & quæ professi fuerimus, cũ celeritate reddamus. Pulchrè autem dixit, redde, quia post promissionem efficitur debitum. Sic 1. Reg. 2. Anna reddidit debitũ. Tu ergo siue promittas eleemosynam, siue vitam pudicam, siue aliquid aliud tale, ad illud exoluendũ festina. Plura habet in eandem ferè sententiam in psalm. 142. An ergo illi, qui vitam pudicam promisit, ad nuptias vel scortationes anhelare licebit, & non potiùs omnes inuestigare rationes, ac implorare diuinum auxiliũ, vt quod pollicitus est, explere possit, dicens cum Dauide, psalm. 21. Vota mea reddã in conspectu omnium timentium, &c. Et alibi: Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et iterũ: Vota mea Domino reddam coram omni populo eius. Itẽ: Vota mea Domino reddam in cõspectu omnis populi eius. Quid aliud docet, quàm se summa ope anniti, & operam dare, vt vota sua quæcunq; fuerint illa studiosè expleat, & seipsum nobis in exemplum proponat, vt pari sedulitate nostra quoq; vota prosequi contendamus. Deus enĩ a nobis illa summo iure requiret, quẽ-

Psalm. 65.
Psal. 115.
Ibidem.

admodum Baruch propheta cap. 6. interminatur: Deus requirit ab eo qui vouit, & non reddit. Omnésne in vniuersum Monhemij farina consperſos tot S. ſcripturę teſtimonia commouere poterunt, vt abiurēt eius cæterorumque errores, qui falſo docent, quibuſlibet licere dum velint, inire coniugium? Si S. ſcripturę fidē non accommodamus, cui ergo credemus? Omnibus hæreticorum phalangibus, ac dæmonum omnium præſtigijs S. ſcripturæ authoritatem opponimus. Huius ſi poſſunt inuiolabilem veritatem expugnent, adornent tela, coniungant conſilia. Quid ſi Angelus è cœlo aliud quàm audiſtis doceret, num illi credendum eſſet? Apoſtolus anathematis
Gal. 1. titulo eum inſigniret. Sed nos iam luculenter indicemus, qui veritatis riuuli ex hac S. ſcriptura velut fonte limpidiſsimo emanarint. Legimus in Tripartitæ hiſtoriæ lib. 7. cap. 1. Imperatorem Prætorianam legē dediſſe, vt capitali ſententia plecterentur, qui vel ſacram Virginem nuptiali thoro violare preſumerēt. Vtinā hæc lex adhuc apud principes, vt æquum eſt, vigeret, nō haberet orbis hic deploratiſsimus tam multos monaſticæ vitæ deſertores. Refert D. ille Gregorius, ſingularis pauperum antiſtes,

lib.3.dialogorum, ca. 29. quemadmodum quidam ſanctimonialem ſibi matrimonio copulans,tandem ſceleris cõſcius fecit oblationes ſuas cum alijs ad eximium illum virum nomine Menam deferri. Cuius oblationes vir Dei per ſpiritũ cognoſcẽs, abiecit,dicẽs: Ite, & dicite ei: Oblationẽ tuam Deo abſtuliſti,& mihi tuas trãſmittis? Ego tuam non accipiam , quia Deo ſuam ſurripuiſti . Et ſanè rectè id factum eſt : ſi enim homini fides ſeruanda eſt , án non & Deo longè iuſtiùs & rectiùs ? Imò quantò Deus homine eſt excellentior , tantò & illi præſtita fides iuſtiùs ſeruanda eſt. Agè monhemi,ſi quis tibi promiſſa non præſtet , quid aliud cenſebis, quàm illum te vel ludibrio habere, vel iniuria alioqui non mediocri afficere? Si matrimonio iuncti ad mutuam fidem præſtandam obligantur , qua ratione qui cum Chriſto connubia inierunt,licebit corporis ſui poteſtatem repetere? Vis clarè oſtẽdamus, matrimonium cum Chriſto contraxiſſe,quotquot caſtitatem voto profeſsi ſunt? Adulterium illi incurrunt, ſi alienis vxoribus inſidiẽtur, & amplexibus fœdis potiantur . Nuſquàm autem adulterium habet locũ,niſi in matrimonio [illegible] vt adulterium veteres eiuſmodi ſcelus ap-
pellabant.

pellabant. D. Basilius in insigni illo libro de virginitate, cùm priùs castitatis ruptæ vitiũ scortationis nomine appellasset (Cõcitatæ, ait, scortationis peccatũ nuptiarum nomine velant) posteà tamen adulteras eiuscemodi vocat. A quo non abludit D. Chrys. Epistola 6. ad Theodorum, & D. August. in psalmum 83. Item D. Ambrosius cap. 5. ad virginem lapsam. Similiter & D. Cyprianus, lib. 1. Epistola 11. D. verò Hieron. lib. 1. aduersus Iouinianũ, duriori voce talem incestam nuncupat, & D. Basilius alibi tanquàm summũ nephas sacrilegium vocat. Hunc consule in institutione illorum, qui vitam cupiunt ducere perfectam, & sermone 4. in exercitamẽtis pietatis, & præter alia loca in quæstionibus, quæstione 14. Existimabat vir sanctus, talibus nuptijs rem pretiosissimã, ac Deo semel mancipat, furto auferri. Quod quid aliud est, quàm sacrilegium committere? An ne res sacrata est sanctimonialis, quæ Deo sese totam sponte sua tradidit? An non & ij præterea omnes, qui voto nulla coacti necessitate sese constringunt? Si tuum est quod tibi ab alio donatur, cur nõ pari, imò ęquiore iure erit Dei, quod ipsi consecramus? Miramur, quisnã malus genius hãc peruersam
hære-

hæresim mundo inuexerit, cùm totá prorsus antiquitaté comperias, vno ore nuptias Deo consecratorum hominũ ab ipsis Apostolorũ temporibus vehementer damnare ac profligare. Carnales motus, quos nõ satis compescere student, ita rectã rationem obfuscarunt, vt fœdis libidinibus operam dare malint, quàm vel sacrorũ scriptorum, vel Apostolorum, vel denique Christi doctrinam intelligere & amplecti. Profectò vt mundi corde ad videndum Deum diuinarumque rerum contemplationem sunt accommodatissimi: ita qui obscœnis istis voluptatibus inhiant ac inuoluuntur, eò tandem stupiditatis rediguntur, vt suas spurcitias contra S. scripturam reluctante consciẽtia defensare audeant, & tanquàm licitas publicis præconijs commendare illicitas. Hoc omnium malorũ lerna Lutherus facto comprobauit, dum virginem velatam ipse monachus duceret. Et vt sui facti plurimos haberet adstipulatores, etiam alijs calcaria addidit, & ad similia perpetranda induxit: quàm verò sanctum fuerit illud connubium, filij ipsius omnibus argumento esse posint. O rem Christianorum piorũ auribus indignam, non ita veteres Patres, aut verbo, aut exemplo docuerunt?

runt? quod perſpicuum eſſe poterit, ſi præter alios conſulas D. Baſilium ad virginem, quæ poſt caſtitatis vota exciderat: ſi D. Gregor. Nazianzenum, oratione 14. ſi Chryſ. hom. 7. in Matt. Omnia (ait) mandata legis nobis monachiſq; ſunt communia, præter connubium: & hom. 2. de patiẽtia Iob. Simile eſt inuenire apud Damaſ. in vita Barlaam & Ioſaphat, quo loco adoleſcens dæmonis argutias eludẽs: Hac, inquit, ſententia permittitur volentibus vxores ducere, ſed nõ eis, qui ſemel Chriſto virginitatem promiſerũt. Idem reperias apud vetuſtiſsimum illum ſcriptorem Origenẽ, hom. 11. in Leuiticum, & hom. 24. in Numeros. Sed ad Latinos ſcriptores deducatur oratio. Et imprimis cõſulas Tertullianũ, etiam antiquiſsimum, ſub finem libri de pœnitentia. Quid verò memoremus D. Auguſt. cuius hæc eſt ſententia: Quæ ſe non continent, expedit nubere: quæ autem continentiam vouerunt, illis nec expedit. Vide librum 1. de adulterinis coniugijs, cap. 15. & 24. Item lib. 2. ca. 19. Similiter de fide ad Petrũ, ca. 3. In pſalm. 75. In Epiſtolis 45. 152. 179. Item ſerm. 166. de tempore. D. Ambr. ad virginẽ lapſam. Deus bone, quàm ſeuerè in hãc eandẽ ſentẽtiã ſcribit, ſicut & aliàs ſæpiùs.
Nec

Nec solùm ille, sed & gloriosus Martyr D. Cypr. lib. 3. ad Quirinum ca. 30. & D. Hierony. qui quidem si in hęc nostra tempora incidisset, quanta libertate ac scribendi soliditate effrenatam hæreticorum impurissimorum libidinem perstrinxisset, ac cohibuisset? Quantis elogijs virginitatem extollit, quà: neruosis argumẽtis eam commendat, ac amplectendam esse salubriter suadet, & vota non infringenda esse, multis in locis sedulò adhortatur: ac imprimis in Epistola ad Lętam, in hęc verba: Hęc dico, vt moneã, quanto metu & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti. Item ad Demetriadẽ, & in Ezechielis caput 44. Verba omittimus, ne prolixitate obtundamus lectorem. Hæc autẽ abundè ostendunt, quàm longè diuerso spiritu, ne dicamus, Asmodeo hi nostri hæretici, præ illis patribus spiritu sancto imbutis ferantur. Quorum sententiam etiam varia Concilia non sine maxima interminatione confirmarunt, ac imprimis Concilium Chalcedonense, cap. 16. Ancyranum cap. 19. Arelatense secundum, canone 33. Valentinum secundum sub Damaso celebratũ, cap. 2. Carthaginẽse quartũ, Toletanũ quartum, cap. 55. Hæc ferè omnia ante annos 1000.

cele-

celebrata eadem prorsus astruunt, quæ hactenus in medium attulimus. Sententiam verò illã, Melius est nubere, quàm vri, omnes ad solutos ac nondũ voto aliquo constrictos referant, vt constat ex omnibus ijs, qui in hunc locum commentati sunt. Vide inter cæteros Epiphanium, libr. 2. tomo 1. contra Apostolicos hęreticos. Hęc ob id lubentius sumus fuse prosecuti, quia generalem Monhemij sententiam vehemẽter suspectam habebamus, in quam rudiores impingere, & votifragi suam sententiam stabilire poterant. Cæterùm ne aliquorum persuasione putent sibi Christi sacerdotes, aut sacris ordinibus initiati, ista dicta non esse veluti qui nullum castitatis votum emiserint, compertum habeãt illi, non secùs continentiæ vinculo se constrictos esse, atque sanctimoniales & monachos, qui publicè tria religionis vota professi sunt. Si sibi salutique consultum velint, nõ credant aliud docentibus, nec magistris aures prurientibus fidem accommodent, qui carni frena relaxanda esse impudenter suadẽt. Aequum planè est, ac rationi consonum, vt qui Deum suum manibus continẽter tractant, qui ore Dominicũ corpus conficiunt, qui illud ipsum Deo patri

pro

pro ſua totiuſq; populi ſalute indies offerunt, atq; oblatũ ſumunt, & alijs porrigũt, vt puriſsimum cor ab omnibus libidinum ſordibus alienum circumferant. Vide quid D. Chryſoſt. habeat cùm alijs in locis, tum potiſsimùm lib. 6. de Sacerdotio: Item D. Ambroſius in ca. 3. prioris ad Timotheum: Sacerdotes (ait) iam de cætero ſe ab vſu fœminæ erunt cohibentes: veteribus id conceſſum fuit, quia multum tempus otio vacabant à miniſterio. Ac deinde rurſus: Si enim plebis hominibus oratiõis cauſa abſtinere ſe præcipit Apoſtolus, vt vacẽt orationi, quantò magis Leuitis aut Sacerdotibus? Non grauẽris conſulere D. Aug. quæſtione 127. ex vtroque teſtamento, &. D. Hieronymum, quando libro 1. aduerſus Iouinianum ſcribẽs, eum, qui in Sacerdotio filios ſuſcipit, nõ quaſi virum, ſed quaſi adulterum damnandum eſſe fatetur. Nec te moueant Græcorum exempla, qui etſi quandoque coniuges ad Sacerdotij, vel Epiſcopale munus aſſumpti ſint, nunquàm tamẽ vxore defuncta, in Sacerdotio aliam illis licebat ducere, vt locupletiſsimus teſtis eſt Epiphanius, contra Montaniſtas: ac proinde, quamuis apud Grecos etiamnùm cõiugatus fieri poſsit Sacerdos, nunquàm

tamen Sacerdos vxorem ducit:atque ita D. Pauli sententiã citatam intelligendam esse astruunt D.Ambrosius, D. Chrysost.& alij preclari scriptores innumeri.Plura in hanc sententiam à non paucis Concilijs decreta sunt,& seuerissimè cautum est,ne Sacerdotes soli, sed præsentibus arbitris cũ mulieribus loquãtur. Vix inuenias Concilium, in quo illud nõ grauiter decernatur. Quãobrem consulas Romanum primũ sub Siluestro pontifice 272. Episcoporum, ca.19. Toletanum 1. cap.3.& 4. & Carthaginense 4. similiter & alia pleraque antiquissima. Sed precamur ante omnia, legat Epistolam secundã Innocẽtij ad Victricium Rothomagensem Episcopum, cap. 9. quam antè anno 1200. temporibus scilicet D. Aug. conscripsit,de continentia Sacerdotum veteris testamẽti loquens:Quanto magis,inquit,hi Sacerdotes nostri,vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent,quibus vel Sacerdotiũ, vel ministerium sine successione est. Nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis,vel à Baptismatis officio vacent. Et paulò pòst: Sed fortè licere hoc credit,qa scriptũ est, vnius vxoris virũ: Non permanẽti in concupiscentia generãdi dixit,sed propter futurã continẽ-

tiam

tiam. Et ſanè quòd voto caſtitatis Sacerdotes obſtringantur, ex verbis D. Hieronymi ad Iouinianum paulò antè citatis, liquidò conſtare poteſt, qui adulteros vocat eos, quicunque ſe mulieribus iungunt: quod vtique non faceret, niſi fidem Chriſto ordinatione ſua dediſſent. Dum enim in Hypodiaconorum ordinem aſſumuntur, & eis ab Epiſcopo dicitur, (quemadmodum ante multos annorum centenarios conſtitutum eſt) quicunq; ad hunc ordinem accedunt, voto ſe conſtringant, cęlibes & caſtos ſe manſuros. Qui his verbis auditis, in ſententia perſtiterit, & nihilominùs ordinem ſuſceperit, ſiue verba promiſsiōis eloquatur, ſiue taceat, facto ipſo ſeſe voto obligauit. Hæc ſecum expendant Chriſti Sacerdotes, qui Sardanapalicam vitam traducunt, cùm propriæ ſalutis ac tot myriadum animarum periculo, quin potiùs ſui ſtatus dignitatem contemplātes reſipiſcant, & cælibem ac Deo dignam vitam ſollicitè tranſigant.

In explicatione 7. præcepti, folio 26. facie prima, *dicit, furtū eos cōmittere, qui Miſſas, peccatorum remiſsionem, animarum è purgatorio liberationē pretio uendunt.* Si Monhemius pio zelo quorundam Catholicorū abuſus car-

pat, non equidẽ refragamur, qui quosdam, qui in Ecclesiam aliquorum vitio irrepsẽrunt, commendare non possumus: sed consultius fuisset, maiorũ vereda tegere, quàm omnibus inspicienda atque ridenda exponere. Hoc enim nihil aliud est, quàm frigidam (quod aiunt) suffundere, & populum alioqui obstreperũ aduersus Sacerdotes vniuersos concitare. Hi enim generatim dictum esse putãt, & omnes perstringi, quod in quorundã vitia contortum est. Vtinam abusus omnes tollantur, nec quicquam in Ecclesiastico, vel seculari statu relinquatur, quo offendatur Deus. Verùm Monhemi, si è tuo Gymnasio Dusseldorpẽsi non posis omnia euellere zizania, nec cuncta quæ displicent Deo sustollere (certum est enim, adolescẽtes hæresibus imbutos, nec Deum, nec Sanctos, nec deniq; suos reuereri pręceptores) qui poteris tu, vel nos etiam, vel certè pij omnes, tot scandalis mederi, quib⁹ infecta est Ecclesia? cùm veritas ipsa testetur, necessum esse, vt veniant scandala? Et D. Paulus: Oportet hæreses esse. Subditorum est, Deum precari, vt dignos operarios in messem extrudat, vt præsules Sanctos Ecclesiæ donet, & principes, qui zelo fidei impias hęreses profligent: quales

Matt. 18.
1. ad Corint. 11.

(vt

(vt ingenuè fatemur) populus multis in locis habere hactenus non meruit. Interim tamē, si Ecclesiarum præsides, aut principes seculares quid reprehensione dignū committant, occultandum est, quoàd eius fieri potest. Quandoquidem ex publica detractione nec mores corriguntur, nec boni instituuntur, & fraterna charitas sæpenumerò læditur. Non ignoras, quam maledictionem incurrerit Cham, contrà verò cuiusmodi benedictionē Zem & Iaphet sint consecuti. Sed vnde digressa est, reuertatur oratio. Credimus, non te alium voluisse amplecti sensum, neq; vt malum damnare quòd D. Paulus concesit, posse de altari illos viuere, qui ipsi deseruiunt, qui stupenda illa missarum sacrificia Deo offerunt, qui pro data sibi autoritate peccata remittunt, posse in sui sustentationem non operis pretium, sed eleemosynā recipere. Hoc adeò cum Apostoli verbis, cumq; ijs omnibus, quę hactenus obseruata sunt, non repugnat, vt Christus etiam suo exemplo id confirmarit. Nam cùm pauperrimus esset, nec haberet vbi caput reclinaret, simul & discipuli omnia reliquissent, ex eleemosynis tamen tam suam, quàm discipulorū vitam sustentauit. Insuper quando hæc subiungis,

Genesis 9.

1. ad Corint. 9.

Ioan. 20.
Matt. 18.

Matt. 9.
Matt. 19.

iungis, *Eodem modo qui utuntur bonis Ecclesia sticis, & tamen nullo Ecclesiastico, aut pio munere funguntur, non concionantur, non docent, non erudiunt populum, &c.* Credimus, te non existimasse in his tribus functionibus omnia Ecclesiastica munera consistere, alioquin ad quid adijciendum erat: Et cætera? Nam ad illa etiã pertinent orationes pro viuis atq; defunctis, diuinorũ officiorũ celebratio, precum horariarum statis temporibus decantatio. Nõ enim omnes, qui sacris ordinibus initiati sunt, vel docẽdi, vel concionandi munere pollent: sed omnium est sedulò orare, vt Deus illorum animis remuneret, quorũ liberalitate tã amplos ꝓuentus annuè subleuant. Eorum est diuinis rebus vacare, preces diurnas pariter atque nocturnas ritè persoluere, pauperibus eleemosynas largiter erogare. Hoc si fecerint, non secus officij sui dignitati responderint, quàm Sacerdotes illi Aegyptij, quibus ex
ærario publico, vt testis est scriptura, alimenta præbebantur, quò Astronomicis alijsque Mathematicis disciplinis (teste Aristotele 1. Metaphy. cap. 1.) sedulò operam nauarent. Quapropter Ecclesijs bona relicta sunt, vt viri eruditi commodiùs diuinis occupationibus sese totos mancipareñt,

(margin: ɪ. Gen, 47.)

diuinas

diuinas laudes detonarent, Ecclesiæ eruditione sua auxilium opemque ferrent, ac denique (si D. Bernardo Epistola 2. fides adhibenda est) pauperibus ex eo, quod ex honesto victu & vestitu superest, liberaliter succurrerēt. Vide quid D. Chrys. in homelijs ad populum Antiochenum hac in re faciendum esse moneat: Si secùs aliquid fiat, profectò grādis abusus est, quem non solùm à Catholicis, verùm etiam ab hæreticis plerumq; non sine graui periculo introductum esse manifestum est, dum liberos suos nō tam religionis ergò, quàm spe questus atq; amplorum prouentuum respectu ad dignitates Ecclesiasticas cum suæ ac filiorum salutis dispendio euehunt. Non inutilem certè Monhemi, nauares operam, si discipulos tuæ fidei cōcreditos (quorum nonnulli haud dubiè licet impuberes Ecclesiasticis beneficijs onusti sunt) seriò adhortareris, vt sese ad omnē pietatē componerēt, monstrosum dissectarū vestiū habitū abijcerent, prauorū commertia fugerēt, ac deniq; pensum precū horariarū cum religiōe persoluerēt. Hoc si abs te alijsq; diligēter curatū fuerit, futurū cōfidimus, abominādos abus⁹ paulatim euulsum iri, & verā pietatis Christianæ faciē successurā esse.

Folio 27.in expositione duorum postremorum mandatorum Dei, *Hæc duo (ait) tam exactam integritatem à nobis requirunt, ut nullas malas cupiditates admittant, quibus animi nostri ad crimina committenda incitentur. Damnant igitur omnem prauam inclinationem, quæ est perpetua quædam insolentia, superbia, contumacia, obsistens & repugnans legi Dei, quæ innumerabilem confu[...]m gignit, etiamsi non semper consensio subseq[...]r.* Hæc & plura alia in eandem sententiam adfert Monhemius, quibus nulla alia adhibita probatiõe, ita planè naturam totius humani generis damnat, vt eam perpetuo velit peccato obnoxiam esse. Cædò Monhemi, vndé nam istam interpretationem didicisti? an tibi hoc D. August. dicere videtur, Epistola 200. ad Asellicum, vel alij istorum pręceptorum interpretes? Iam superiùs abūdè satis declaratum est ex eodem D. Augustino, concupiscentiam hanc peccatum non esse, nisi assensus animi prebeatur. Nec est, quòd fusiùs hîc eius verba repetamus. Vnicum eius locū attulisse suffecerit ex Epistola citata: Incipit homo secundum gratiam in interiori homine renouari, vt mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti, quod odit: Id est, vt

non

non omninò non concupiſcat, ſed vt poſt concupiſcentias ſuas non eat. Simile quid videas apud D. Chryſoſt.hom.52. in Matt. Eſt igitur potiſſimùm hæc ea cõcupiſcentia prohibita, de qua D. Ioannes Epiſt. 1. loquitur. Omne quod eſt in mũdo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum: ea verò eſt, cui præbetur aſſenſus voluntatis. Quoties verò quempiam veterum ita loquẽtem comperimus, quaſi etiã primus ille pruritus prohiberetur, intelligendum id eſt, quemadmodũ D.Aug. Epiſtola 200. interpretatur: Hoc (inquit) lex poſuit, dicendo, Non concupiſces: non quòd ſic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus. Siquidem (vt ait Chryſoſt. hom.52.in Matth.) concupiſcẽtia ſola non damnat, ſi illi non præbeat conſenſum voluntas. Magis autem & glorioſiorem facit virginitatis coronam. Hæc verò vnicuiq; Chriſtiano opera danda eſt, vt quantum in eo eſt, has animi perturbationes paulatim euellat, vt concupiſcentię indies magis ſedentur impetus. Conſilia ſua Euangelica, vt id commodiùs fiat, Chriſtus reliquit, & ea amplectenda eſſe ſuaſit. Concupiſcentiæ carnis, caſtitatis propoſitum firmum, & votum oppoſuit: quo ſanè non rarò eue-

Eccleſi.18

1.Ioan.2.

nit, vt omnes carnales pruritus penitus tol lantur ac aboleantur. Concupiſcētiæ oculorum, quam auaritiam dicimus, decimo præcepto vetitā, obiecit aliud antidotum, dum adoleſcēti opibus affluēti ita loqueretur: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Quamuis igitur inſurgentes contra rationem motus, non omninò ſub peccati pœna vetuerit Deus, gratum tamen ſibi eſſe oſtēdit, & veri Chriſtiani officium, ſi non nimia ſomnolentia, aut ſupina negligentia in ijs comprimendis vtamur: Gratiſsimum autem, ſi ſequentes Euangelica conſilia, ac omnes peccandi occaſiones fugientes, ſenſim illos extinguamus, & tollamus.

Matt. 19.

IN DIALOGVM QVARTVM DE FIDE.

INitio huius dialogi in Fidei explicatione nō eam ſecutus eſt Mōhemius doctrinam, quam à veteribus, adeoq; ab ipſis Apoſtolis hauſimus: ſed quam nouitatis omnis ſtudioſi cōtra Chriſti Sanctorumq; omnium inſtitutionē non ita pridē commenti ſunt. Catholica autem omnium do-

ctorum de fide explicatio est, virtutẽ quã-
dam nobis cœlitus à Deo infundi, cuius be
neficio certissimè ijs omnib⁹ inhęreamus,
quæ Diuino verbo tam scripto, quàm non
scripto, sed per manus tradito accepimus.
Quam D. Paulus definit esse substantiam
rerum sperandarum, argumentum nõ ap-
parẽtium. Substantiam ille dixit ὑπόστασιν,
tanquam fundamentum, vt fides sit rerum
sperandarum veluti sustẽtaculum, hoc est,
huiusmodi principium, sine quo res illæ,
quę nõ videntur, ne sperari quidẽ possunt.
Fidei siquidem ita spes innititur, vt amor
& desiderium notitiæ. Sicut enim quę non
cognoscimus, neque amamus, neque desi-
deramus: ita nec illa quæ fide non appre-
hendimus, licet vnquàm sperare. Hanc fi-
dem non existimamus historicam esse co-
gnitionem, qua S. scripturæ verbis assenti-
mur, aut certò aliquid verũ esse nobis per-
suasum habemus: verùm firmissima est as-
sensio rerũ talium, quę non videntur, qua-
tenus verbo Dei inhæret, hoc est, si rei ali-
cui præbeamus assensum, quia nobis à Deo
proponitur, nec argumẽtis alijs in eius no
titiam deducimur, iam fides est, quam vir-
tutẽ theologicã appellamus: Si verò eidem
credamus, quia ingens populi multitudo
eam

Hebr. 11.

eam amplectitur, quamdiu non ob id, quia Deus omnipotens & verissimus dixit, fidei propriæ rationem non meretur. Fidei itaq; ratio in firma notitia consistit, quam ob id intellectui voluntas imperat, quia Dei verbo innititur. Ex quo consequitur, eandem & sine spe, & sine charitate esse posse. Quis enim prohibeat, impium aliquem articulis fidei, quòd a Deo progressi sint, certissimum assensum præbere, quorũ notitia nec speret æternam salutem, nec ad sperandum sese præparet? Hác talem fidem informem vocant: formatam verò, si charitatis pulchritudine & honestate insigniatur: vt enĩ
Iaco.2. (teste D. Iacobo) corpus sine anima vitæq; operationibus mortuũ est, cùm tamẽ corpus maneat: ita & fides sine operibus, quæ à charitate tanquàm forma proficiscuntur. Versatur ista fides, si hæc nostra tẽpora contemplemur, in propositionibus potissimũ generalibus: Spes verò è contrario potiùs indiuiduis, quod generatim promittitur, accõmodat: Hoc est (vt explicatiùs loquamur) fides horum similiumq́ue enunciato-
Marci 16. rum est, Qui crediderit & baptizatus fue-
Psalm.118. rit, saluus erit. Beati immaculati in via, qui
Psalm.31. ambulant in lege Domini. Beati quorum
Matth.19. remissæ sunt iniquitates. Qui seruat mandata

data, ad vitam ingredietur: Non verò est istorum: Ego ad vitam ingrediar, aut mihi peccata remissa sunt. Cæterùm spes talium est, sperat siquidem quisque pius peccata sibi condonata esse, ac proinde de Dei bonitate, ac suarum operationum remuneratione confidit, non tamen ita firmiter se illã assecutũ esse credit, vt errare nõ queat. Inanis quippè foret illa confidentia, sed sperat, & quod paulò maius est, confidit etiam. Denique cùm fidei obiectum sit veritas prima, non solùm de rebus plausibilibus ea habebitur, nempè de pollicitationibus, diuinisq; promissis bonis, sed de aduersis quoque & inferni cruciatibus, & ijs omnibus, quæ Deus Ecclesiæ suæ concredidit. Credimus enim non tantùm Christi meritis, & acerbissima passione Deo patri satisfactum esse, ac sanguine pretiosissimo regnum cœlorum comparatũ esse, sed prætereà malos ignem expectare ęternũ, quem Christus dæmoni & angelis eius paratum esse dicit: Imò alibi ait, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Cæterùm fides quãuis certitudine sua omnem prorsus notitiã superet, tam scientię, quàm opinionis: est tamen euidentia minor quidem scientia, quia fides nõ habet meritum

Matt. 25.

Lucæ 13.

(vt

(vt ait D. Gregorius) vbi humana ratio præbet experimentum. Hęc eſt Catholicorum de fide ſententia. Monhemius autem non contentus hac veterum Doctorum explicatione, aliam quandā conſectatus eſt tantum veteribus omnibus ignotam, quãtum ac proinde Chriſtianorū manibus omninò explodendam. Multa in præcedēti ſententia reprehendit, nō apertè quidem illa, ne manifeſtam hæreſim introducere videatur, verùm dum aliter docet, non obſcurè ſignificat, ſibi quæ antè à nobis dicta ſunt, non parum diſplicere. Nam in religionis fideiq; negotijs maiorum veſtigia declinare, eſt illorum fidem calumniari. Primùm itaque folio 30. facie 1. negat, in malis fidem ineſſe, quam pijs tantummodò conuenire docet: ex eo etiam ſequitur, malam eſſe diuiſionem fidei in formatam atq; informem (licet enim vocibus artis noſtræ nobis vti) Secundò nō ei cum ſuo Caluino placet, fidem de ſeueris minis haberi, non de damnatione æterna, non de hac propoſitione, Niſi conuerſi fueritis, gladiū ſuum
Pſalm. 7. vibrabit, &c. Qui non crediderit, condem-
Marci 16. nabitur, &c. ſed de ſuauibus tantùm promiſsionibus æternæ ſalutis, de miſericordia, de paterno ipſius in nos animo, de ſumma eius

ma eius

ma eius bonitate & longanimitate,&c. Videan non huc tendant omnia,quę toto illo 28. folio posuit, in quo cùm multa de diuinis pollicitationibus prosequitur, nihil tamen quicquam de minis, aut diuina iustitia annectit. Non videbatur Monhemio æquum, vt à Caluini sententia, quam hactenus tam sanctè veneratus est, vel ad transuersum vnguem digrederetur. Tertiò etiam hoc displicet,quod diximus vniuersalium pronunciatorum esse fidem, spem verò singularium: Nam è contrario docet, fidem de enunciatis specialibus, aut indiuiduis haberi, firmaque fide tenendum esse, nō solùm vniuerse eos omnes esse seruandos, qui diuinis præceptionibus insistunt, sed speciatim credendum esse vnicuique, se quoque vitam æternam sine hęsitatione adepturum.Imò nisi sibi quisq; persuasum habuerit,se iam Dei gratia protectū,ac certo certiùs sibi fœlicitatem perpetuam esse donandam, iam à gratia excidisse, nec veram illum & Euangelicā, aut potiùs Monhemicam fidem habere. Ita loquitur folio
» 29. Vera igitur fides non in eo tantùm sita
» est,vt credamus vnum esse Deum,ea omnia
» vera esse, quę S. literis continentur,sed pręterea exigit firmam certamque notitiam, »
quæ

« quæ per Spiritum sanctũ manifestatur mẽ-
« tibus nostris, & cordibus obfirmatur, vt pa
« cata mente audeamus nos in Dei conspe-
« ctum sistere. Is itaq; veram habet fidẽ, qui
« certa ac firma persuasione Deum esse sibi
« propitium, beneuolumq́; patrem sibi per-
« suasit, de illius beneuolentia omnia sibi
« promittit, diuinę erga se benignitatis pro-
« missionibus fretus, solidam æternæ salutis
« expectationem prętendit. Et folio 30. vt ei
« soli ac gratuitis ipsius promissiõibus sum-
« ma cordis fidutia adhęreamus, in illis con-
« quiescamus, de Dei erga nos bonitate, & vi
« ta æterna nihil dubitemus. Hunc errorem
« vt commendatiorem redderet, ita fidẽ de-
« finiuit, folio 28. Fides est certa firmaq́; per-
« suasio beneuolentiæ Dei erga nos propter
Hebr. 11. Christum. Et D. Pauli definitionem (est ὑπόστασις rerũ quę sperantur) ita interpretatur, est res certa & secura possessio eorum, quæ nobis à Deo promissa sunt, argumentum non apparentium, hoc est (ait) eorum, quæ non videntur, sed sperantur certa demonstratio, vt posterior hæc pars prioris sit explicatio. Ratio ergo fidei Mõhemicę, & pręceptoris eius Caluini, in eo posita est, vt sit certa ac indubitata persuasio, se saluum fore gratia & beneficio Christi, quæ non

non in omnibus, ſed in bonis tantùm hominibus inueniri queat. Cæterùm vt nunc turpiſsimos iſtos de fide errores confutemus, operæpretium nos facturos exiſtimamus, ſi tres illas ꝓpoſitiones à veritate alieniſsimas eſſe demonſtremus, quas præter cæteras in præfatione Dialogi huius quarti Monhemius ſatis apertè (vt diximus) poſuit: quarum vna fuit, Fidem eſſe certam perſuaſionẽ beneuolẽtiæ Dei, & vnumquenq; debere ſibi certò perſuadere, Deũ fore propitium, neque de ęterna vita eſſe ambigendum. De hac priori loco dicendũ putamus, quia illi reliquæ ceu baſi cuiuſdã innituntur. Imprimis igitur, quis vnquàm ita de fide diſſeruit, vt ad eam referendam putauerit certi cuiuſdã priuati hominis propriam ſalutem? Fides eſt rerum certiſsimarũ, quæ neque falli poteſt, neq; fallere. Admodùm verò incerta eſt priuata hominum iuſtificatio, multoque magis æterna ipſorum ſalus. Quomodo igitur in his vſque adeò incertis certiſsima fides verſabitur? An verò incerta eſſe negas, quæ ſcriptura incerta eſſe luculenter teſtatur? Neſcit (inquit) homo, vtrũ amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruãtur incerta. Et D. Paulus, Nihil, ait, mihi conſcius ſum, ſed nõ in hoc

Eccle. 9.

1. Cor. 4.

iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Et iterum: Castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo, ne fortè dum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. Et Sapiens: Quis potest dicere, mundũ est cor meũ? purus sum à peccato? Et alibi: Beatus homo, qui semper est pauidus. Item alio in loco: De propitiato peccato noli esse sine metu, &c. Hæc scripturæ testimonia, quis nisi planè mentis inops infringere audeat? Quis tam hebetis est ingenij, aut stupidi iudicij, vt non videat ista ex diametro cum Monhemij doctrina pugnare? An plura testimonia requiris, quæ doceant, incertum esse hominem, an in Dei sit fauore vel amicitia, an iustificationem iam assecutus sit? Audi Iob. 9. capite sic testificantem: Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: Si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit: etiamsi simplex fuero hoc ipsum ignorabit anima mea. Et paucis interiectis: Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi mũdissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimẽta mea. Diuus etiã Paulus inquit: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit

1. Cor. 9.
Prouer. 20
Cap. 28.
Eccle. 5.
1. Cor. 4.

festabit consilia cordium. Quòd autem de conscientiæ iudicio Apostolus loquatur, quo quispiam semetipsum probum esse arbitratur, ea quæ subiunxit, abundè declarant: Ait enim: Sed neque meipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Audis ne Monhemi, quo pacto S. Apostolus in tertium cælum raptus, sui ipsius tamen iuditium Deo soli scrutatori cordium relinquat? Tu tamen, tuique similes audetis vestris discipulis, ac Christianis omnibus de vita ęterna cõsequenda securitatẽ polliceri. O miram vestram impudentiam ac procacem temeritatem, qui totam ætatem in peruertẽdis pijs fidelibus ita misere trãnsmittitis, qui talentum concreditum non in terram, sed in sordes defoditis, imò in Domini vestri summã ignominiam ac cõtumeliam exponitis: non veremini tanquàm seruos bonos atque fideles vos Domino sistere, & sine timore vllo, sine vlla denique verecundia toti orbi vestram securitatẽ promulgare. Metuendum est vobis, imò certũ est, vos de æterna damnatiõe, quàm de salute esse certiores, si sic, vt cœpistis, pergitis animas, quæ non moriuntur, damnare. Audistis S. scripturæ sen-

tentias conuincere neminem, certum esse de adepta iam iustitia, ex quo consequitur neque quenquam sibi de æterna vita tanquàm certò promissa blandiri, quia nisi iusto datur nemini. Vultis ostēdamus latius, quàm sit ridicula planè talis salutis suę persuasio? Vos Caluiniani (hunc enim præter cæteros Mōhemius sequitur, quamuis non in omnibus, ne omninò discipulus illius appareat) securos vos esse de æterna felicitate iactatis: Certiores vobis se esse dicunt Lutherani: certissimos aūt se Anabaptistæ, vt qui summa constantia, vel potius temeritate, exilia, carceres, ignes, mortemque excipiunt. Vt interim cæteras sectas omittamus. Cædo, quorum certitudini adhærēdum erit? Caluinianæ fortassis dicet Monhemius: verùm si quartus aliquis mediusue rogetur, qui defecato iudicio negotium istud perpendit, prorsus & Caluinianos, & Lutheranos, & Anabaptistas, & quotquot tandem hanc certitudinem splēdidè mentiuntur, delirare & insanire dicet. Certa vestra fidutia vos fallit, fides autem non fallitur: non ergo vestra inanis persuasio fides dicēda est. Sed vt monhemio certitudinem iustificationis concedamus: Num ideò sibi polliceri aliquis posset vitā ęternam? Quid

si enim

ſi enim à iuſtitia excidat, nec in virtutis ſtu dio perſeueret, debétne is ſolidam ſalutis æternæ expectationem prætendere, atq; de ea nihil dubitare? Vide (ait ſcriptura) vt nemo coronam tuam accipiat. Timebat Apoſtolus, ne reprobus efficeretur, quem tamē Chriſtus tanto miraculo vocauit ad Apoſtolicam functionem, tantaq; myſteria per eum toti mundo inuulgauit. Dauid, Salomon, alijq; innumeri lapſi ſunt: Saul etiam commendatione ſcripturæ probus poſteà in deploratam malitiā delapſus eſt: Silētio præterimus Iudam, Nicolaum, ex ſeptem Diaconis vnum, aliosque innumerabiles: Beatus verò (teſte Chriſto) qui vſque in finem perſeuerauerit. Si non perſtemus in probitate, quid vetabit, quò minùs pater filium omnibus bonis ſpoliare, & exhæredare poſsit? Rectè proinde apud Damaſcenum monachorum Abbas Arachi Principi mortē interminanti, ita reſpondit: Potiùs tibi gratias confitebimur, ſi nos virtutum amatores præſenti vita ſubduxeris. Nō mediocriter enim finis noſtri metuimus incertitudinem, ignorātes, quomodo illum ſimus conſecùturi, ne fortè voluptatis lubricum, vel tentatio quælibet diabolica prælectionis ſtatū peruertat, aut alia ſæpe-

Apoca. 3.
1. Cor. 9.
Matth. 10.
In vita Barlaa & Ioſaphat.

re, aut facere, quàm Deo promisimus, suadeat. Ita Sanctus ille martyr ait, qui vtique non ignorauit, quàm volubilis sit hominis volútas, q cito à cœpto desistat, quàm ægre tentationibus reluctetur, quàm sit pacis atque quietis, quàm pugnę amátior. Sæpe arma capimus, animũ nobis addimus, sæpe ad certamẽ prodimus, sed plures sunt qui cum spiritu cœperint, carne cõsumentur. Et ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Multi sunt (vt dicebat verus Christianus quidam) qui Christum sequuntur ad fractionem vsq; panis: sed pauci ad bibendum passionis calicem. Amat caro carnalia, & paucos inuenias, qui sibi vim inferant, & per angustam portam intrare contendant, cùm tamẽ reuerà suauissimum sit iugum Domini, & onus eius leuissimum, si quis primas molestias conetur infracto animo tollerare. Ex his tandẽ colligimus, si nemo de peccatorũ remissione securus esse debeat, tot S. scripturæ testimonijs, si ridenda sit & repudianda Lutheranorum & Anabaptistarum inanis persuasio, si de constantia nemo certus sit, falso vos docere, ad fidem pertinere, vt quisq; credat firmissimè, atque maxima animi securitate, & iustificatũ se esse, & participem fore

Ad Gal. 5.
Lucæ 8.
Author libelli de Imitatione Christi li. 2. ca. 11.
Matt. 11.

fore æternæ salutis. Sed verius Diuum Petrum cõsuluisse, vt per bona opera certam nostram vocationem faciamus. Ac verissimè de vobis prædixisse Sapientẽ: Sunt impij ita securi, quasi facta iustorum habeant. 2. Petri 1. Eccle. 8.
Cæterum incertitudinis huius causa si exponenda sit, non est illa in Deum clementissimum, sibique semper similem vlla ratione referẽda: Is suas pollicitationes constanter seruat: ait enim, Ego Deus, & non mutor. Certo certius & gratiam, & iustificationem, & æternam denique salutem illis omnibus largietur, qui præscriptas conditiones seruauerint. Atq; identidem peccatorum remissionem donabit, si vera ducti pœnitẽtia corde cõtrito cõfessionis Sacramentũ susceperint, & sic de reliquis. Sed nobis ea tribuẽda est, cordisq; nostri caliginiac cæcitati: tam enim occultũ est cor humanum, & varijs modis intricatum, vt id supra modum admiratus Propheta dicat: Prauũ est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Et tanquàm id soli Deo reseruetur, respondet in Dei persona: Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. Nescimus sæpè, an cũ adferamus dolorem, quem peccatorum desiderat remissio: an satis præparati cum emendæ proposito Sa- Malach. 3. Iere. 17.
 cerdotem

cerdotē adeamus: an omnia proferamus, aut eo modo quem requirit vera cõfeſsio, occulta ſubinde peccata latent, videmurq; nobis ſubinde dolere, cùm tamen radices malorum veram cõtritionem impediant.
Pſalm. 18. Vnde non immeritò Regius Pſaltes vociferatur: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, &c. In actiõibus verò noſtris ſæpè arrogantia & ſuperbus animus, inaniſq; gloriæ cupido ſeſe ingerit, ex quo metuunt viri fideles, ne nõ tam purè, tamque recta intentione munera ſua atque officia, vt par eſt, obeant. Metuunt illic peccatum eſſe, vbi peccatum nullum eſt, (vt ait D. Gregorius) cùm è diuerſo ſuperbi neque ibi peccatum agnoſcunt, vbi peccatum ſubinde grande deliteſcit: Rectè
Eccle. 7. proinde Sapiens monet: Non te iuſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt. Iterum alibi: Eſt via quæ videtur homi
Prouer. 14 ni iuſta, nouiſsima autem eius deducunt ad mortē. Iſta fortaſsis paradoxa videbuntur iniquis & infidelibus, verùm in ſe experiuntur veri fideles, quàm vera ſint quæ dicimus. Ne autē arbitreris humanæ cuipiam perſuaſioni hunc metum aſſcribendũ eſſe, diſcas rectiſsimo Dei conſilio iſtud ita euenire, partim ne nimia ſecuritate in torpo-
rem

rem labamur, partim ne superbia elati, ea etiam, quã habemus iustitia, priuemur. Est enim cùm ad alia vitia, tum ad superbiam (quæ primas tenet) inanemque ambitionem pronus hominis animus, vt opus sit continua humilitate eundẽ ipsum magno studio deprimere. D. Gregorius elegãtissimè illud exposuit in Epistola ad Gregoriam cubiculariam Augustæ: cui postquàm sæpiùs certi aliquid de remissis sibi peccatis cognoscere ea desiderasset, tandem ita respondit: Rem & difficilem, & inutilem postulasti: Difficilem quidẽ, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: Inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousq; veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Et post pauca iterum: Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir, qui semper est pauidus. Et alibi: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius vitæ tempore mentem vestram

Lib. 6. Regist. ca. 186

Prouer. 28

Psalm. 2.

necessum est vt tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodùm exultet. Hactenus D. Gregorius, quem ideo fusiùs adduximus, quòd manifestè Monhemij securitatem explodat. Et sanè quando nihil detrimenti, sed plurimum etiam cōmodi talis trepidatio adferat: mirum, cur tantoperè hanc inanē persuasionem moliātur inducere hæretici, idq́; cum tanto animarum periculo. Sed dicent fortasse, miseram esse Christianorum conditionem, si semper in continuo pauore sit vita degenda. Quid enim miserius, quàm semper timere, & nunquàm de salute, deq́; pace sempiterna securum esse? Non videtur hæc Christi, non Apostolorum esse doctrina, vt semper timore perculsi summam infelicitatē metuamus. D. Paulus: Certus sum (ait) quoniam neque mors, neq; vita, neque angeli poterunt nos separare à charitate Dei. Et alius Apostolus: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, nō est perfectus in charitate: Christi fideles igitur (inquiunt) qui summa in Deū charitate ferūtur, nihil quicquam metuētes de iustificatione atq; salute, securos esse cōuenit. Verùm erratis

Rom. 8.

1. Ioan. 4.

miseri,

miseri, non intelligentes scripturas, neque virtutem Dei. Quam vos pœnam arbitramini, pœna non est, sed filiorum in benignissimum patrem reuerentia, ac proinde non misera, sed felicissima est Christianorum vita, in qua Deum patrem nō tam metuimus, quàm piè reueremur: non tam timemus, quàm amore prosequimur. Notissima est timoris in seruorū ac filiorum diuisio, vt interim inchoātem seu initialem omittamus. Serui nō amore, sed pœnarum metu functiones suas exequuntur. Filij ita patrum commodo student, vt summa ducti veneratione solliciti sint, ne illum vel in minimo offendant. Hic est timor ille sanctus, permanens in seculum seculi. De quo scriptum est: Replebit eum spiritu timoris Domini. Prior timor pœnam habet, nec cū charitate perfecta consistere potest: Posterior verò dulcedinem comitē habet, nec vnquàm à charitate quiuerit auelli. Illum scripturę vituperant: hunc autē semper commendant. Vt igitur exiguam aliquam habeatis huius negotij explicationem, dicimus, veros piosque Christianos non ita metu continuo agitari, atq; si perpetuam gehennam iam iam sibi imminere exhorrescant, atque ideo miserrima perturbatione

Matt. 22.

Psalm. 18.

Esaiæ 11.

turbatione & cruciatu semper torquetur. Nemo est verè piorum Christianorum, cui tā inanis assertio vel per somniū vnquam in mentem venit: verum iusti & boni quādo pacatam in se conscientiam experiuntur, quando se ad bona omnia procliuos sentiunt, nihil aduertunt in se, quòd vel minimum conscientiam cruciat, Dei nomine nihil non perferre student. Nihil diuino amore charius habēt, cui omnia non grauatè postponunt. Tales inquam infernum non metuunt, sed summa fiducia de Dei bonitate confidunt, æternam salutem sibi donandam firmiter sperant. Sperant dicimus firmiter, & magno animo, non tamen credunt: fides enim falli nequit: spes autem subinde fallitur, cùm alioqui spes non foret (vt posteà dicemus.) Confidunt magna animi alacritate Christū venturum expectantes, & de eius benignitate nihil diffidentes: faciunt tamen quod in se est, ne temeraria securitate diffluant & fallantur. Considerantes namque (vt D. Gregorius monet) quòd iustus sit, peccata vestra nolite negligere: Considerātes verò quòd pius sit, nolite desperare. Hęc securitas, quę cum reuerentia aut sacro timore Domini coniuncta est, in Sanctis inuenitur. De hac D. Io-

Hom. 34. in Euangelia.

D.Ioannes sępè,& D. Paulus subinde verba faciunt:non est tamē illa fidei, sed spei potius operatio, & talis vtique spei, quæ non confundit,quamdiu charitas Dei in cordibus nostris per spiritū sanctum diffusa est. Rom.5. Hæc inanem persuasionem non adfert,sed pacatam vitam producit: non inflat aut fastuosos reddit, sed verecundos, humiles ac Dei amore flagrantes. Habent eam omnes pij,qui vobis cū falsa & ridicula vestra persuasione nō mediocriter condolent. Cùm porrò his rationibus verisimilem certitudinē boni Christiani assequuntur de peccatorum suorum remissione,tum alio modo in eorum notitiam solent deduci,reuelatione videlicet diuinitus facta. Sic D.Petrus securus factus est de sua salute, & Apostolus Paulus, quemadmodum ille posteriori Epistola, capite 1. hic autem altera ad Timotheum,ca.4.apertè indicat.Alijs etiam Sanctis simile quiddam à Deo indicatum esse testatur D. Gregorius, lib.4. Dialogorum,cap.46. & 47. similiter hom.34. in Euāgelia. Reuelat quippè nōnunquam Dominus sub vitę finem,vt mortis aduentum(quem natura ipsa horret)spe venturae gloriæ securo ac alacri animo amplexētur. Si hæc reuelatio tibi, Monhemi,non contigit

tingit, rogamus paucas, eoque magis, quò à vera Christi doctrina elongatior es acalienior. Si contigit reuelatio, ne tibi aliud persuadeas (quamdiù quidẽ ista hæresi implicatus es, ac alios imbuis) quàm angelum Satanæ te habere ludibrio. Si enim angelus de cælo aliud Euangelium, quàm Ecclesia hactenus docuit, inuulget, anathema sit. Sed quid dicetis, inquies, de Apostoli Pauli sententia? Certus sum, quoniam neq; mors, neque vita, &c. Respõdemus Monhemi, certum esse, non fidei indicare certitudinem, sed idem esse atq; cõfido, quemadmodum D. Ambr. & D. Hiero. Epistola ad Algasiam, quæstione 9. legunt: Vel idẽ quod persuasum habeo (vt vertit Erasmus) vocula quippè πέπεισμαι, qua hic vtitur Apostolus, generale nomen est, vt satis indicat capite 15. eiusdem Epistolæ, quando se certum esse dicit, Romanos plenos esse dilectione. Non credebat, fide theologica homines illos, quibus cum nunquàm consuetudinem habuerat, quosque nunquàm viderat, charitate Dei inflammatos esse, sed sperabat tantùm, aut confidebat: ita neque hoc loco fidem habebat ea de re, quam verbo diuino nusquàm didicerat. Sed vt ad secundam propositionem veniamus, vni aut alteri

Ad Gal. 1.

Rom. 8.

alteri tantùm breuitatis studio veterū authoritati anathematis sententiam subiungamus. D. August. lib. de perfectione iustitiæ: Quātalibet (ait) iustitia præditus sit homo, timere debet, ne aliquid occultum lateat. Et D. Chrys. in opere imperfecto in Matt. hom. 38. Nemo (inquit) est tanta firmitate suffultus, vt de sua iustificatione debeat esse securus. Nunc porrò arrige aures Monhemi ad verba Tridentini Concilij, sessione 6. canone 13. Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, vt credat certò, & absque hęsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. Et canone 14. Si quis dixerit, hominem à peccatis absolui ac iustificari ex eo, quòd se absolui ac iustificari certò credat: aut neminē verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatū, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.

Secunda propositio similiter confutanda est, nempè, in bonis tantūmodò fidem inesse, nō item in malis: ac proinde malam esse fidei diuisionem in formatam & informem. Hæc & S. scripturæ, & rectæ rationi repugnat: notitia enim illa, qua his assentimur,

mur,quæ manifesta non sunt: sed quia Deus vera esse dixit,nec scientia est, neq; opinio,neque credulitas leuis,aut historica fides.Quid ergo si non vera fides erit?Preterea ad fidei naturam aut notionem nullus vnquàm charitatem dixit pertinere. Qua fronte igitur audetis vos (qui extra scripturã nihil admittendũ esse docetis) fidẽ semper cũ charitate copulare?Videte, an nõ etiam contrariũ sacræ doceãt literæ, vt locupletissimus testis est D. Iacobus, capite 2. Sicut corpus(inquit) sine anima mortuum est, ita & fides sine operibus. Si expendere similitudinem Apostoli libet, corpus sine anima,corpus quidem est(etsi homo carens, homo non sit) quare etiam fides sine charitate fides sanè est, quamuis fides viua non sit. Est enim vt anima forma corporis, ita & charitas forma fidei : vtque naturales actiones sensuum, aliarumq; facultatũ ad animã originẽ suam referunt: ita quæcunque bonę atq; spiritales operationes à fide exercentur, nõ nisi à charitate procedunt, ac efficaciam habent. Ecce quàm apertè, si non ijsdem omninò verbis, saltem eadem sententia Catholicorum diuisionem expressit Apostolus. Cuius etiam sententiam elegantissimè D. Bernardus sermone 2. de

resur-

resurrectione Dominica, hoc modo exposuit: Sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex bonis operibus. Itaq; vita quidē corporis, est anima, per quam mouetur & sentit: vita verò fidei, charitas est, quia per illā operatur, sicut ex Apostolo legis, fides, quæ dilectionem operatur. Sed quid ad D. Paulum respondebitis? Si habuero (inquit) omnem fidē, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Si omnem fidē habere quis potest sine charitate, igitur à fide charitas separari poterit. Si fides ea, quæ montes transfert, seiungitur, certè vera fides separatur: quandoquidē credulitas sola, aut fides historica eiuscemodi miracula nō operabitur, sed vel sola fides vera, de qua Christus: Multi dicēt mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Quibus tamē dicturus est: Discedite à me operarij iniquitatis: Vel saltē talis confidentia, quę verę fidei innititur. Consulite Oecumenium in illum D. Pauli locum: similiter & D. Hieronymum. Lucæ 8. dicitur: Multi ad tempus credūt, & in tempore tentationis recedunt. Sic & Ioānis 12. Multi ex principibus crediderunt in eum,

Ad Gal. 5.

1. Cor. 13.

Matth. 7.

ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne extra ſynagogam eijcerentur: dilexerũt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Simon etiam Magus dicitur credidiſſe, Actorum octauo, homo videlicet ad omnem impietatem aptiſsimus. D. Paulus teſtatur, fidem per dilectionem operari: non igitur per ſe illa operatur, ſed alterius virtutis adminiculo. Ac proinde rectè ex ea ſententia colligit D. Auguſtinus, aliquam eſſe fidem, quæ per dilectionem non operatur. Et ſanè ſi veteres conſulamus, non obſcurè hanc Scholaſticorum Doctorum diuiſioné inſinuatam inueniemus. D. Bernardus apertiſsimè Epiſtola 42. ad Archiepiſcopum Senonenſem, fidem aliam dicit mortuam eſſe, aliam fictam, aliam probatam: Mortuam illam vocat, quæ nõ operatur ex dilectione. Cõſulas, Monhemi, D. Auguſtinum pluribus in locis, vtpote libro de fide & operibus capite 14. & potiſsimùm Sermone 16. de verbis Apoſtoli, vbi diſertis admodùm verbis oſtẽdit, eandem eſſe fidem, quæ ſpei charitatiſque aduentum præceſsit, quæque cum eiſdem virtutibus in iuſtificatis remáſit: Dicit enim, ad fidem, cuius operationes dæmones quoq; exercent, ſpé atq; charitatem

Ad Gal. 5.

Libro de ſpiritu & litera, ca. 32.

tem

tem accedere. Quid verò pro Catholicæ doctrinæ defensione adferri posſit tempestiuius? Vide etiam D. Hieronymum, sub finem 2. libri, in Epistolam ad Galatas: & lib. 3. in caput 5. eiusdem Epistolæ. Item D. Chryso. hom. 3. in verba ista Apostoli, Habentes autem spiritum fidei: & hom. 2. in Epistolam ad Philemonē, hom. etiam 2. in Genesim, hom. 52. in caput 25. Matt. Longum esset singula commemorare: verùm quotquot tandem scripserūt veteres, huic sententiæ comperies adstipulari. Quamuis porrò fidem veram dicamus sine charitate posse consistere, non tamen diffitemur cum D. Paulo, nūquàm sine charitate prodesse. Ita quoque D. August. loquitur: Sine charitate fides quidem esse potest, sed non prodesse. Et alibi: Magna, ait, est fides, sed nihil prodest, si non habeat charitatem: fide siquidem membra Christi Ecclesiæq; eius efficimur: Viua autem membra sola efficit charitas. Non statim rami arborum, qui exaruerunt, partes arborum non sunt: nec manus hominis illius, quæ (vt Euangelista refert) arida fuerat, manus non erat, sed manus erat arida, toti adhuc corpori adhærescens. Restituit eam Christus vitæ atq; sanitati, significans homines

1. Cor. 13.
Lib. 15. de S. Trinitate, cap. 18.
Tract. 6. in Euang. Ioannis.

quosdam, qui fide Christi corpori adhærent, dum eandem fidem seruant, vitam capitis sui ope diuina posse recuperare. An non côcedes Monhemi, fideles esse quàmplurimos in Ecclesia malos? Concedit hoc sexcentis in locis contra Donatistas D. Augustinus: Insuper & diuina scriptura. Fideles autem, teste eodem August. fide ab infidelibus distinguuntur. Cur nô igitur fides aliqua mortua in peccatoribus (vt hactenus credidit Ecclesia) esse posit? Sed fortasse dices, D. Ioannem aliter sensisse ac docuisse, quando ita scribebat: Qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. Et iterum: Quis est, qui vicit mûdum, nisi qui credit, quoniã Iesus est filius Dei? Existimas fortè veteres illos Doctores, quos paulò antè citauimus, nunquàm verba illa, vel studiose legisse, vel etiam abundè satis penetrasse? Sicne tu tibi solus sapere videris, vt & recétioribus & veteribus illis omnibus intelligentiã scripturarum contumaciter adimas? & tibi tuisque arroganter eam asscribas? Quis tam est vecors, atq; animi impos, qui nô tuam tuiq; similium arrogantiã ac temeritatẽ magnoperè execretur, vt qui vestra somnia veluti oracula quædã vulgo credẽda proponitis, & vo-

Lib. 13. de S. Trinitate, cap. 2.

1. Ioan. 5.

&vobiſcum ad ſempiternã damnationem pertrahitis. Docti plus ſatis veſtros mores exploratos habent, & ſpiritum illum, non quo illuſtrati fuerunt Apoſtoli, ſed fanaticum potiùs agnoſcunt. Vulgo dare verba non admodùm eſt difficile, & hominibus carnalibus facile eſt mundi illecebras perſuadere: & certè apud rudẽ populum facile eſt, S. ſcripturam (quæ veluti naſus cæreus eſt) in quãuis interpretationem flectere, qua aut principum, aut vulgi incauti palpentur vitia, dum ad ſolius fidei amplexum pernitioſe exſtimulantur. Cæterùm longè aliter D. Bernardus θεοδίδακτος, Sermone in octaua Paſchæ, hũc Apoſtoli Ioannis locũ perpulchrè expoſuit, ſicút & cæteri doctores omnes. Qui dum fidei, vel iuſtificationem, vel ſalutem aſſcribunt, non verba, ſed facta profitentur: neque de mortua aliqua, ſed viua fide loquuntur. Illa autem viua fides eſt, quæ in actionẽ poteſt erumpere. Putáſne (aït) filium Dei reputat Ieſum, quiſquis eſt homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſsionibus, nec præceptis obtemperat, nec Conciliјs acquieſcit? Nónne is etiãſi fateatur, ſe noſce Deum, factis tamen negat? Quando ope-

ra bona commendare volunt, ita loquuntur veteres, vt videant veri fideles, tam esse necessarias operationes, tantique momenti, vt fidei suam vitam largiantur. Sed priusquàm hāc propositionem terminemus, accipite seuerā in vos à Patribus latam sententiam, sessione 6. Synodi Tridentinæ, canone vigesimooctauo: Si quis dixerit, amissa post peccatum gratia simul & fidem semper amitti: aut fidem, quæ remanet, nō esse veram fidem (licet non sit viua) aut eum qui fidē sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

'Tertia demum propositio, quam vafrè satis inuoluit, quamque deprehendimus ex Caluini pectore profluxisse, hæc est, Nos ea tantùm credere, quæ ad promissiones spectant, non autem ea quæ minas inducunt. Hanc etsi Monhemius non ita expresè posuerit, vt deprehendi à quouis prima fronte statim valeat: facilè tamen ex verbis eius, qui eiusdem factionis sunt, eandem agnoscent. Quocirca ne & hic animi piorum impingant, operæpretium fuerit, paucis veritatem denudare. Fatentur veteres omnes, fidem in his omnibus versari, quæ à Deo Christianis, hoc est, Ecclesiæ Dei reuelata, atque per

per manus ab Apostolis tradita sunt, quorum alia chartis ac scripto commissa sunt, alia verò ad fideles per traditiones deducta. Toti itaque scripturæ ita credendum est, vt nihil omninò contineat, quod non certissima fide seruandum putemus: & illa profectò fide, qua fideles nominamur. Vide Diuum Hieronymum circa principium Commentariorum in secundum caput Ionæ: & Diuum Augustinum cùm in 8. & 9. & 19. Epistolis ad Diuum Hieronymum, tum libro secundo contra Donatistas, capite tertio. Continet autem scriptura non pollicitationes tantùm, non solùm blanditias, non modò quæ demulcere possint aut oblectare, sed etiam iram, indignationem, terrorem, minas, vt si charitate non moueamur, aut rerum cælestium pollicitatione, saltem indignatio, & ira Dei, & denique æternorum suppliciorum metus nos impellat. Hinc Christus in Euangelio tam sæpe meminit gehennæ, vbi erit fletus & stridor dentium. Hinc etiam Lucæ decimosexto terribilem illam de diuite & Lazaro historiam (si Diuo Ambrosio & alijs credamus) omnibus nobis proposuit, vt & illius exéplo terreamur, ne nimia securitate & hu-

Matt. 8. 13. 22. 24. 25. Luc. 13.

ius vitæ illecebris diffluamus: huius verò exemplo ad virtutum & patientię studium, quò perpetua fruamur consolatione, inuitamur. Quis igitur dubitet, rerum aduersarum perinde ac prosperarum inferni æquè atque cæli fidem esse? Præterea videmus, si qui primum ad meliorem vitam sese transferant, vt non statim amore diuino ad redamandum accendantur (hoc quippe perfectorum solum est) sed initiò terrentur inferni pœnis, recordantur nouissimorum suorum, cogitant quæ eos maneant tormenta, si in malitia perseuerent, quàm atroces sint cum dæmonibus expectaturi cruciatus, idq; quàm ocyssimè, ac post breuem huius vitæ voluptatem, nisi scelerum ducantur pœnitudine. Rarissimè enim (teste D. Augustino libro de catechizandis rudibus) accidit, imò ferè nunquàm, vt quispiam veniat volēs fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Protrita est multorum ore eiusdem sententia: Sicut seta introducit linum, ita timor charitatem. Hi autem tales, qui hac ratione sese ad Deum conuertunt, num infideles in suæ conuersionis exordio dicendi sunt, quia non innituntur promissionibus, sed terroribus? Diuus Bernardus talem

Eccl. 7.

Tractat. 9. in epist. D. Ioannis.

Epist. II.

talem ait confiteri domino, non quidem quia in ſe bonus eſt, ſed quia potens eſt: ergo fidelis eſt, ſi domino confitetur, ſi potétiæ, ſi veritati eius teſtimoniũ reddit. O vtinã timor iſte, Mõhemi, te, & alios ita inuadat, vt horrendũ Dei iudicium metuatis, ad cuius memoriam Diuus Hieronymus ſe ſemper contremuiſſe teſtatur: vtinam Diui Pauli ſententia vos anxios habeat: Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Ad Hebr. 10. Quàm parum metuiſſe conſtat præceptorem veſtrum Lutherum, qui ſubinde licet ſtimulis acribus conſcientiæ exagitatus eſſet, tantum abfuit vt factus fuerit melior, vt etiam tanto Dei beneficio abutens, dæmonis ſuggeſtioni timorem illum aſſcriberet, & in Spiritus ſancti miſericordiam peccans, omnia conſequendæ ſalutis media contumelioſe propulſaret. Precamur clementiſsimum Deum, qui poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, vt ſa- Matt. 3. lubri terrore corda veſtra concutiat, atque emolliat, quò ad Eccleſiam, vnde turpiter exiſtis, corde contrito ac ſpiritu humiliato reuertamini. Noſtra interim vnde fluxit reuertatur orationis ſeries. Veſter hic error cauſam, principium ac occaſionem hinc ſumpſit, quò ſpem atque fidem

prorſus confunditis, cùm tamen non exiguo interuallo diſtent. Fides eſt generalium pronunciatorum, (ſi hæc noſtra metiamur tempora) ſpes autem ſpecialium. Fides certiſsima eſt, nec falli, nec fallere poteſt: Spes autem, quantumuis quod in ſe eſt, certa quidem eſt, vt non confundat, quamdiu varijs tribulatiōibus exploratur & charitate ornatur, ſicut Diuus Paulus teſtis eſt: tamen quia cauendum ſedulò eſt, ne hæc ſpes in inanem fiduciam deſinat, hoc eſt, quia fieri poteſt, vt pro vitæ integritate rurſum ad ſcelera diuertamus, ſolet vſu venire, vt ſocordia noſtra confundat nos, non autem vera ſpei virtus. Et ſanè certitudo ſpei non eſt tanta, vt quis ea niſus non debeat de ſalute ſua hæſitare: quamdiu enim ſperamus, incerti ſumus, quemadmodum vel ipſum nominis etymon nos perſpicuè edocet. Spes enim & timor ita opponuntur, vt tamen vtrumque ſimul in eodem omninò homine poſsit conſiſtere: ſed quò magis vnum incrementum ſumit, tantùm decreſcit alterum. Si ſpes ob charitatem fiat ſecurior, (nam teſtatur Diuus Ambroſius, quòd ex fide charitas, ex charitate ſpes oriatur) timor foràs vehementiùs mitti-

Rom. 5.

Libr. 8. in Lucā c. 17.

mittitur. Insuper fides tam malorum quàm bonorum est: nam est opus intellectus, qui non id quod bonum, sed quod verum est, contuetur. Spes autem tam Theologica quàm moralis, in eo quod bonum est versatur: nullus enim malum, sed tantummodò quod bonum est sperat. Nō igitur fides ea solùm credit, quæ sub spem cadunt, sed illa quoque quæ formidantur. Adde etiam & illa quæ nec metuimus nec desideramus. Quam enim spem excitat, vel quem timorem incutit, quòd Dauid iuxta regem Saul sedere soleat ad vescendum, vel quòd pridie Calendas cum Ionatha in agro colloquebatur. Hæc tamen fide tenenda sunt, & sine ambiguitate vlla credenda, quia primæ innituntur veritati, scilicet Deo, qui nobis ea significanda voluit. Latiùs igitur patet fides quam spes, quia ad ea quoque sese protendit, quæ timemus, eaque omnia quę veritas ipsa comprehendit ac proposuit. Nunc igitur veritatem edoctus, quisquis hæc lecturus est, videat (precamur) quam probè omnia commisceant hæretici, idque ideò, vt verborum quorundam lenocinijs aut portentis rudium hominum ingenia illaqueent, ac plus quam Cymmereis tene-

1. Reg. 20.

tenebris inuoluant, præsertim dum fidem à spe & charitate non separant, quæ etsi magis semper coniungi desiderent, non rarò tamen separata conspicias.

Folio 36. facie 1. ita habet in explicatione quarti articuli. *Non itaque timendum est, ut in Dei iudicium amplius ueniant peccata nostra, à quibus tam preciosa mercede nos absoluit Dei filius, modò hoc beneficium sola fide complectamur: tum enim iusti coram Deo reputamur.* Hîc apertè iustificationem ac salutem soli fidei attribuit Monhemius: sed hanc tractationem in dialogum sequentem relegemus. Ita pro nobis satisfecit Christus,
1. Pet. 2. vt exemplum sequendi vestigia sua reliquerit. Non enim par est, vt sub spinoso capite viuant membra delicata. Si ingrati fuerimus, si talentum nobis concreditum in improbos vsus expenderimus (vt hæretici in oppugnanda Dei Ecclesia faciunt) si Christi Domini nostri voluntatem nouimus, eumque dicentem audimus maioribus Ecclesiæ: Qui vos audit,
Luc. 10. me audit: qui vos spernit, me spernit: non tamen ad voluntatem eius mores nostros componamus, an non in tenebras missi exteriores plagis vapulabimus multis? Sed
Luc. 12.

de

de his posteà. Huc tamen etiam referenda est sententia folio tricesimonono facie secundo in explicatione septimi articuli posita: *Magnam ex hoc articulo fidei securitatem accipiunt pij, cùm intelligunt, se non ad aliud tribunal sistendos, quàm capitis sui aduocati ac redemptoris: Caput enim non condemnabit sua ipsius membra, nec aduocatus suos clientes, nec redemptor, eos quos tam carè, precioso scilicet sanguine suo, ac durissima morte redemit.* Hæc inquam sententia, si ad solos verè pios pertineat, verissima est: modò enim in pietate suscepta persistant, non est quòd de Christi clementia dubitent, aut eius iudicium metuant. Si verò pios illos omnes arbitratur, qui credunt, quiquc redempti sunt sanguine ac morte eius, certè impia est nimis propositio. Plurimi enim tales etsi membra sint corporis mystici, putrida tamen sunt & meritò resecanda, ne contagionem ac perniciem totius corporis compagini adferant. Amputantur à vite palmites fructum non ferentes, & in ignem mittuntur vt ardeant: ita Christus à se, à corporeque suo sancto quicquid est inutile, indecorũ ac squalidum reijciet in ignem æternum, quantumuis pro totius mun-

mundi salute sanguinem ac vitam suam non dubitauerit in cruce profundere. Hæc obiter annotare placuit, ne ambiguæ Monhemij sententiæ erroris occasionem incauto lectori pariant. Dabit ille nobis veniam, quod minutissima quæque excutiamus: veremur etenim, ne fucus aliquis, aut pestilentissimum toxicum delitescat, quod imprudens lector mellis loco imbibere queat.

Folio 41. facie 2. de Ecclesia, si verba spectes, nō malè loquitur, si modò dum Christum caput esse dicit, non excludat etiā caput vicariū, cui dictum est: Tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo Ecclesiam meam: & iterum: Pasce oues meas. Cæterum istud aperiendum hic erat, si modò Ecclesiam volebat ostendere, & quisnam esset ille verus Sacramentorum vsus, quæq; syncera Euangelij doctrina: nā cùm variè scripturas diuersi hæretici torqueāt ac interpretētur, cumq; in Sacramētorum administratione neq; cum Catholicis illi, neq; inter sese planè conueniant, non est hac Ecclesiæ definitiōe manifestū, Caluinianá ne, an Zuuingliana, an Anabaptistica, an Suuenckfeldiana, an Erētiana, aut demum Lutherana, aut Melanthoniana factio Ecclesiæ nomē mereatur,

Matt. 16.
Ioan. 21.
1
2

reatur: omnes enim diuersarũ hæresum repertores apud se & puram Euãgelij doctrinam (si dijs placet) & verum Sacramentorum vsum esse, pertinaciter contendunt. Veteres verò Romanorum Pontificum in eadem fide perpetuam successionem apertum indicium esse Ecclesię Catholicę confessi sunt. Consulas Irenæum vetustissimũ illum scriptorem libr. 3. capite tertio, cuius verba Eusebius recitat libr. 5. cap. 6. Ecclesiasticæ histor. D. August. epistola 165. & libro contra epistolam Fundamenti ca. 4. Similiter libro de vtilitate credendi, ca. 17. & 46. Item quæstione 110. in libro de quęstionibus veteris & noui Testamenti: Tertullianum etiam libro de pręscriptionibus hęreticorum: & Cyprianũ lib. 1. epist. 3. & 6. lib. 2. Epistola 10. libr. 3. Epistola 2. & potissimũ de simplicitate pręlatorũ. Vide Optatum Mileuitanum, libro 2. contra Donatistas: & Originem in principio libri περὶ ἀρχῶν. Hoc signum cùm in sola Romana Ecclesia inueniatur, nec facilè Caluinus tuus Mõhemi (qui aliquot ab hinc diebus Episcopũ Geneuẽsem se volebat cõstitui reclamante populo) neq; Bucerus, neq; Melanthon (q nisi resipuerint iã dant atroces suæ vesanię pœnas) neq; Brent. neq; alius aliqs

prodigiosorum dogmatũ repertor, ad Apostolos aut viros Apostolicos, suã originem referre pc*erit: hoc autẽ solus potest Romanus Episcopus, quẽ cõstat nunquàm ab Apostolorũ doctrina desciuisse. Hæretici verò omnes ante 43. annos neque visi sunt, neq; fuerunt: hi inquã, quibus hac tẽpestate tã perditè infestatur Ecclesia: quàuis pater omniũ Ioãnes Huss in Constantiensi Synodo anno circiter 1414. exustus, blasphemiarum suarum cõdignas dederit pœnas. Soli Luthero infandam hanc Germaniæ calamitatem acceptam ferre debẽmus, qui anno 1517. post Ioannem Huss 102. annis multò antè conceptum virus in Ecclesiam Catholicam tanta contumacia effudit. Hic est Apostolus & pater Caluini, Oecolampadij, Carolstadij, Melanthonis, Brentij, Suuenckfeldij, Anabaptistarum, & quotquot hodie portenta quondam felicissima, nunc longè omnium miserrima, nutrit Germania. Ante hũc patrem nulla istarum doctrinarum inuaserat orbem, pacata erant omnia, sapiebant idem omnes. Vtinam & semel tandem aliquando talis pax expulsis hæresibus benignitate Christi & vigilantia principum toti orbi reddatur.

Folio

Folio 42. facie 1. ait in hunc modum: *Si falsa doctrina, falsusq; Dei cultus, & id genus impietas in Ecclesiam irrepserint, hæc Ecclesiæ præsides ilico extirpabunt. Quòd si hi negligentes fuerint, piorum regum ac principum partes fuerint, exemplo Ezechiæ, Constantini, Theodosij & multorum aliorum Regum, cùm in ueteri, tum in nouo testamento, Ecclesiam expurgare.* Nõ possumus non vehementer hanc tuam, Monhemi, paræneſim cõmendare, qua Ecclesiæ præsides admones, vt sui officij meminerint, & falsum Dei cultum falsamq; doctrinam, ac id genus impietatem (quę in Ecclesiam Dei irrepserunt) extirpẽt. Iam pridem id omnes pij Christiani flagrãtissimis votis exoptãt: necdum tamen ob implacabile nonnullorum odium, quod cupiunt, consecuti sunt. Conqueruntur, & meritò quidem, se id ob impiorũ multitudinem prę̃stare non posse, nisi etiã principes seculares suppetias ex animo ferant. Plęriq; verò horũ adeò nõ ferunt auxiliũ aut opem, vt etiã pios quorũdam præsulum conatus contumaciter impediant, maleuolorũ hominũ improbitatẽ foueant, ac demũ infrenẽ hæreticorum temeritatẽ nonnunquàm tuendã suscipiãt. Hinc fit, vt nõnulli antistites, nec his abusibus, qui emerserunt mederi, nec probè suis

officijs perfungi queant, quò & piorum hominum studia, labores ac industriã promoueant, atque impios quacunque id ratione fieri queat, è medio tollat. Cæterùm tu fortasse consules, falsam doctrinam, falsumq; Dei cultum, ac id genus impietatis, extirpanda esse, sed tamé personis parcendum esse, si ex animo hæreses abiurare, & non simulatè resipiscere constituant. Id tibi facilè concesserimus Monhemi, verùm si falsam doctrinam (quæ cum Doctoribus sacris, cum celeberrimis Concilijs, ac denique cum S. scriptura repugnat) mordicùs tueri velint, quid faciendum esse concedis? Quo pacto falsa doctrina, falsusq; Dei cultus, ac impietas extirpari poterunt, donec ij perferuntur, qui hæc magno astu in vulgus sparserunt, ac pari peruicacia etiamnùm defendere contédunt? An quisquam latrocinia, furta, sacrilegia, & id genus flagitia, ex suis ditionibus auferre queat, si latrones, fures, sacrilegos impunè viuere, & quemque quod suus dictat affectus agere permittat? Si dicas, tollerandos esse huiusmodi homines, vt aliquando ad meliorem redeant mentem, reclamabunt leges ciuiles, reclamabunt cum suis subditis Principes, reclamabit deniq; vniuersus orbis, qui

de vitã

de vita, ne dum de fortunæ ludibrijs periclitabitur. Si verò censebis hos extremo supplicio mulctandos esse, non identidem hæreticos, quorum tu fortè conuersionem expectandam esse putabis? Conscientiam tuam Monhemi, compellamus, vt ingenuè profitearis, quotnam hæresiarchas vel ex historijs, vel doctorum elucubrationibus resipuisse cõpereris. Hisne igitur parcetur, qui ad Calendas Græcas (quod aiunt) emẽdam pollicentur, & illis vita tormentis extorquebitur? qui aut fortunæ temeritati, aut vitæ alioqui semel projciendæ insidiantur. Illi verò cùm temporariã, tum sempiternam vitam, nec solùm corporis, sed & animæ felicitatem eripere student. Vtra tibi pars Monhemi, videbitur Reip. Christianæ perniciosior esse? An quæ solùm pecuniam & vitam corpoream ad momẽtum eripere, an quę corpus & animam in perpetuum exitium deturbare conatur? Nõ existimamus te animam corpori posthabere, aut temporariam vitã æternæ præferre, vel deniq; momentaneã pœnam æternis adæquare: præsertim cũ veritas ipsa dicat: Quã dabit homo cõmutationem ꝓ anima sua? Math. 16. Si igitur fateri velis Mõhemi, istud (vt certè fateri necessum est) tantò sunt hæreses

flagitijs nocentiores, quãtò corpore est anima prestãtior. Ac proinde magis etiã in hereticos, q̃ in quosuis alios sceleratissimos homines animaduertendũ esset, tãquàm in totius politiæ Christianæ ac detestabiles animarum pestes, quos Christus ob id fures & latrones appellat, quia furantur, mactant & perdunt. Consulamus Diuum Hieronymum in Ezechielis caput decimumsextũ, vt fidem dictis faciamus: Illud (inquit) significat, quòd cunctis peccatis & fornicationib⁹ peior sit doctrina hæreticorum, quæ Dei filios facit filios dæmonum, imò & interficit eos. Sed fortasse tu tibi ac alijs eiusdem farinæ hominibus metuens, dices, nusquam ex sacris literis liquidò constare, hæreticos quamlibet peruicaces mortis supplicio afficiendos esse. Quapropter nos id tam apertis sacræ Scripturæ testimonijs, simul & celeberrimorum Doctorum sententijs, ac postremò historiographorum calculo ita cõfirmabimus, vt quiuis etiam hebetioris ingenij facilè non tam nostræ sententiæ, quàm veritati sit adstipulaturus. Prætereo quæ habemus Deuteronomij capite decimooctauo, vbi loquens non in nomine Domini præcipitur interimi: & quòd Helias zelo Dei con-

Ioan. 10.

3. Reg. 18.

concitatus interfecit iussu suo 450. Prophetas Baal. Quis minus loquitur in nomine Domini, aut peior est Propheta, quàm sit quiuis hæreticus, qui aut Sacræ scripturæ aliquid addit, aut adimit, aut adulterinis interpretationibus omninò corrumpit. Obiter hæc proponimus, quæ etsi nostram sententiam affatim stabiliant, dilucidiora tamen adferemus. Cuiusnam Exodus liber quemlibet in sublimitate constitutum admoneat, nunc operæprecium est audire: Maleficos non patieris viuere, &c. An non videbuntur tibi malefici esse, Monhemi, qui totum orbem suis prodigiosis libellis concitarunt, ac tam execrandis dissidijs atque tumultibus inuoluerunt, & quotidiè magis inuolùnt? Sed vt excludatur omnis tergiuersandi locus, clariùs id testatum reliquit liber Deuteronomij his verbis: Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui se somnium vidisse dicat, propheta ille, aut fictor somniorum interficietur. Deinde subsequitur, Auferes malum de medio tui, & alia eodem capite. Huius sententiæ Diuus Cyprianus libro primo, Epistola octaua contra hæreticos mentionem facit: similiter & Diuus Hieronymus aduersus Vi-

Cap. 22.

Cap. 13.

gilantium ad Riparium presbyterum: Non eſt, inquit, crudelitas, ſed pietas: vnde & in lege dicitur: Si frater tuus, & amicus tuus, & vxor, quæ eſt in ſinu tuo, deprauare te voluerit à veritate, ſit manus tua ſuper eos, & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſrael. Idem teſtatur aduerſus Heluidium circa initium. Non aduertis Monhemi, quanto ſtudio, quantoque zelo Dominus præceperit, nemini parcendum, nec coniugi quidem, ſi quempiam à veritate abducere laboret. Poſſemus & hoc adiungere ex eodem libro: Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, &c ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malú de Iſrael. Sed & nouum teſtamentum his ſuffragatur, dum Diuus Paulus dicit: Auferte malum ex vobis ipſis. Quem locum ſi qu[illegible]us, D. Auguſtinus pulcherrimè explic[illegible] lib. 5. ſuper Deuter. quæſt. 39. Morietur fur ille, id eſt, homo qui furatus eſt, & auferetur malum ex vobis ipſis. Aſsiduè hoc dicit ſcriptura, dum iubet occidi malos: qua locutione vſus eſt etiam Apoſtolus: Quid enim (inquit) mihi de ijs qui foris ſunt iudicare? Nónne de ijs qui intùs ſunt vos iudicatis? Auferte malum ex vobis

Cap. 17.

1. Cor 7

bis ipsis. Nam Græcus textus habet, τὸν πονηρὸν, quod etiam hic scriptu est: hoc autem potius malignum solent interpretari, quàm malum. Nec ait, τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum, sed τὸν πονηρὸν, quod est hunc malignum: & paulo post: Nunc verò credibilius est de homine dictum, quàm de vitio. Hactenus Diuus Augustinus. Nec solū hoc in loco decernit versipelles trucidandos esse hæreticos, sed etiam epistola 48. ad Vincentium contra Donatistas, & epistola 50. ad Bonifaciū Comite, vbi luculentissimè declarat, se aliquando eius fuisse sententiæ, vt existimaret illos pijs monitionibus demulcendos esse, ac rationibus conuincendos: verùm vt animaduerteret inexpugnabilem illorum peruicaciam, ac Catholicorum lenitatem, & dissimulationem multis esse exitio, cùm ob hæreticorum insolentiam, tum ob continuam hæreseon propagationem, censuit pœnis ac nonunquàm morte mulctādos esse: quod etiam disertis ac apertis verbis testatur tractatu 11. in Euangelium Diui Iohannis: Videte, inquit, qualia faciunt, occidunt animas, affligunt in corpore, sempiternas mortes faciunt, & temporales perpeti se conqueruntur. Consule eundem libr. 2.

contra secundam Gaudentij Epistolā, cap. 26. & 17. Item libro de vnitate Ecclesiæ, capite 17. Similiter libro primo contra Epistolam Parmeniani, capite septimo. Ne autem is solus hoc existimasse videatur, audiamus æquis animis Diui Hieronymi hac de re sententiam, qui in 5. ad Galatas caput, Scintilla (ait) statim vt apparuerit, extinguenda est, &c. Deinde paulò pòst subiungit: Arrius in Alexandria vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma depopulata est. Ecce quam appositè hæc sententia in Lutherum & ipsius asseclas competere queat. Ille si ante annos 40. ferro aut igni sublatus fuisset, aut alij è medio sustollerentur, non tam abominandis dissidijs, non tot sectis totus orbis concuteretur. Si nobis non credis, fidem habeas Diuo Hieronymo, cùm ob tot linguarum peritiam, tum ob singularem vitæ integritatem vniuerso orbi suspiciendo. Hic ad Fabiolam de 42. mansionibus sic scribit: Haud aliter possumus magistri discipulorum eos facere filios necessitatis, nisi præceptores eorum interficiamus. Crudeles simus in occisione eorum, non parcat manus nostra, &c. Addamus & hoc eiusdem testimonium

um in Hieremiæ caput duodecimum: Interfectio, inquit, hæreticorum, est salus eorum, qui decepti sunt. Possétne his manifestius aliquid adduci? Vnum tamen adhuc adijcere libet, vt quiuis lector cognoscat, quàm concors sit hac de re Doctorum sententia. Mellifluus ille Bernardus sermone sexagesimosexto super Cantica ita de hæreticis loquitur: Melius gladio illius coercerentur, qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorem multos traijcere permittantur. Et si molestum non sit lectori, consulat Epistolam Liberij Pontificis ad Diuum Athanasium & Episcopos Aegypti: similiter & Epistolam primam Anastasij capite tertio: postremò Epistolam vigesimam Diui Innocentij primi. Si historias huc spectantes efflagitas, vide Eusebium Ecclesiasticæ historiæ libro septimo, capite vigesimosexto: Item Cassiodorum in Tripartita historia, libr. secundo, cap. 9. & 15. Item libr. 7. cap. 11. denique lib. 9. cap. 19. Si maiorem apud te habent authoritatem Concilia, cōperies in Synodo 6. Romana: item in concilio Antiocheno, æditionis primæ, canone 5. quantis calamitatibus & pœnis hæreticos percelluerint. Singula diligens

lector ſine negotio perueſtigabit. Ne tamen preteream, quod minimè præterire oportuit, Concilium Lateranēſe ſub Innocentio 3. canone 3. celebratum, decernit, hæreticos ſecularibus poteſtatibus tradendos ac plectēdos eſſe. Sed hactenus de priore huius propoſitiōis parte, qua ſanctè admodùm mones, Præſulum Eccleſiæ eſſe, vt falſam doctrinam, falſumque Dei cultum, ac id genus impietatem extirpent: modum verò ac huius rei probationem à te neglectam, nos ex S. literis, doctoribus, hiſtoriographis, ac denique ex Concilijs adiunximus, vt ad quid lege diuina obligentur, luce clariùs cognoſcant. Cæterùm quod tu ſubnectis in altera propoſitionis parte, ſi Præſules negligentes ſint, vt tum pij principes ac Reges Eccleſiam expurgent, &c. non caret hoc conſiliū magna aſſentationis ſuſpitione, & certè non leuium diſcordiarum ſemina ſuppeditat. Adde quòd & rerum omnium prodigioſam perturbationem & metamorphoſin cōiunctam habet. Culpamus quidem omnes, nec commendare poſſumus, ſupinam quorundam Præſulum Eccleſiæ negligentiam, qui ſua munia nec vt debent obeunt, nec in ſua officia vt par eſt incumbunt. Non tamen con-

ſultum

ſultum eſt, vt vbi primùm principes ſeculares in rebus Eccleſiaſticis quoſdam abuſus irrepſiſſe ſenſerint, ipſi è veſtigio hos citra omnem iuris ordinem corrigendos ſuſcipiant. Conſultius eſſet, vt primùm ſemel atque iterum Eccleſiæ præſules admonerent, quò ſcandala & abuſus cũ maturitate ſuſtollerent, & pollicerentur operam ſuam & induſtriam in emendandis ſacerdotum vitijs. Nunc verò, (quod vix ſine lachrymis cõmemorari poteſt) vt primùm abuſus in Eccleſiaſticis perſonis conſpexerint, Principes ſtatim bona omnia cõtra fas ac honeſtatem diripiunt, templorũ ſpolia ad ſuam transſerunt menſam, & aut luxurioſe dilapidant, aũt partim in equis, partim in canibus alendis patrimonium Chriſti expendunt. Virgines deinde ac monachos ſemel Deo conſecratos petulanter proſtituunt: necdũ tamen his exaturata eſt prophanandi libido, niſi etiã vel Sacramentorum numerum infringant, vel vetuſtiſſimos ea adminiſtrãdi ritus innouent, ac nouos inſtituãt, donec cælũ terræ, & ſacra prophanis impiè commiſceant. Sed quorum iſtud fieri ſubinde cõſilio cõpertum eſt, niſi Iureconſultorum aut Medicorũ, quãdoque etiã triuialiũ magiſtrorũ, aut alioqui indo-

indoctorum Sacerdotum, ne dicamus cõsiliariorum quorundam ope, qui omnem ferè ætatis partem in bellicis exercitijs trã- ſ[illegible]gerunt: Ij ſcilicet & in rebus fidé & Chriſtianam religionem concernentibus ſanctiones Eccleſiaſticas pro ſuo arbitratu figent atque refigent. Cur non potiùs tractant fabrilia fabri? Quis vnquàm faber ſibi artem calceos aut veſtem conſuendi arrogare fuit auſus? Si quiſpiam veſpillo aut cerdo cum illis militaribus haſtis cõcertare vellet, omnibus ſe ludibrio exponeret, ab omnibus nõ immeritò runchis ac ſannis exciperetur. Hi verò omniũ, quæ nunquàm didicerunt, ſibi ſcientiam vendicãt, ac de rebus tam arduis intrepidè ſententiam præcipitant, ac falcem in alienam mittunt meſſem. O miſerandam rerum omnium faciem, ò præpoſterum in rebus omnibus ordinem. O deploratam quorundam principum ſortem, qui talibus adulatoribus aures præbent. O pernicioſa aſſentatorum conſilia, qui vitia principum ita palpant, diſsimulant, ac fouent, & vt Propheta ait, puluillos ſub omni cubito manus cõ- Ezech. 13.
ſuunt, & morti tradunt animas, quæ non moriuntur. Quàm ſcitè dictum eſt à Seneca, quòd omnia poſsidentibus nihil aliud
deſit,

desit, quàm qui verum dicat. Quàm cõsultò agerent Principes (vt de præsulibus Ecclesiæ taceam) quàm commodè suæ atque subditorum saluti prospicerent, si in rebus ciuilibus seculares, in Ecclesiasticis ecclesiasticos in consilium adhiberent. Nunc verò quia Theologi ab aulis magnatum exulant, tam fœdè res Ecclesiasticæ collabascunt ac pessum eunt: imo quod omnium miserrimum est, Principes nonnunquàm grauissimi conscientiam suam ac salutem nonnullorum Sacerdotum inscitiæ committunt. Quin potiùs consulendi illi forent, qui principes infracto animo docerent, non esse aliena per phas perq; nephas diripienda, sed potius Ecclesiæ præsulibus in licitis & in honestis parẽdum esse iuxta Pauli doctrinam: Obedite præpositis vestus, & subiacete illis: ipsi enim peruigilant pro vobis, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Quantò honestius esset illis consulere, ne alienam iurisdictionem aut possessionem inuaderent, vt in omnibus iustus seruaretur ordo, ne aliquando Dathan Choræ & Abiron pœnam incurrerent, qui se Moysi obstreperos exhibuerunt. Exterreat illos Osiæ Regis exemplum, qui dum vellet sese negotijs templi

Hebr. 13.

Num. 16.

2. Para. 26.

pli ingerere, & ſacerdotum ſibi munus ar-rogare, lepra vſque ad vitæ finem percuſ-ſus eſt. Hunc locum Diuus Chryſoſtomus homilia quarta de verbis Eſaiæ pulcherri-mè interpretatus eſt: Alij (inquit) ſunt ter-mini regni, alij ſacerdotij, & cæt. Comme-morare libet dignum relatu, quid Diuus Athanaſius referat Hoſium Corduben-ſem Conſtantio imperatori reſpondiſſe: Ne te miſceas, inquit, Eccleſiaſticis Prin-ceps, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed à nobis diſce: Tibi Deus imperium cō-miſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredi-dit. Nec huic diſsimile Diuus Ambroſius Valentiniano imperatori fertur dixiſſe: Noli te (ait) Imperator grauare, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, ius aliquod imperiale habere. Ad imperatorem pallacia pertinēt, ad ſacerdotem Eccleſiæ. Cōſulatur epiſto-la 33. ad Marcellinam ſororem ſuam. Offi-cium verò imperatorū ac principum in ne-gotijs religionis ſatis expreſsit Iuſtinianus imperator epiſtola quadam in actis quintæ Synodi inſerta. Si quis plura deſideret, vi-deat D. Hilarium aduerſus Conſtantiū Au-guſtum: Item D. Athanaſium in epiſtola ad vitā ſolitariā agentes: poſtremò D Ambro-ſium cùm in alijs epiſtolis ad Valentinianū

impe-

Imperatorem ſcriptis, tum præcipuè epiſto la 32. in qua apertè recuſat ad imperatoris venire pallatium, vt coram eo cum Arrianis de fidei negotijs conflictet. Latiùs hæc confirmata inuenias apud D. Gregoriũ lib. 1. Moralium ca. 25. Item fuſe de his diſſerũt Clemens Alexandrinus libro tertio Pœdagogi cap. 11. & Hilarius libro 8. de S. Trinitate: Irenęus etiam libro 2. cap. 45. deniq; D. Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamẽti. Si verò ſecularium principum officium cognoſcere nõ diſplicet, hoc nẽpe eſt, Principes à Dei ſacerdotibus quæ ſint facienda diſcere, atq; in eos quos illi pœnis percellẽdos putant, animaduertere oportet. Atque horum cõſilio (quia ferè apud impios plus diuitum, quàm ſacerdotum inopum valet authoritas) populorũ mores corrigere, hæreſes penitus euellere, pias atq; vtiles Eccleſię leges cõdere. Sic Iuſtinianus imperator, vt in Actis quintę Synodi videre potes: Rẽ, ait, non inſolitam imperio & nos facientes ad præſente venimus legem: quoties enim ſacerdotum ſententia quoſdam indignos ſacerdotio de ſacris ſedibus depoſuit, quẽadmodum Neſtorium, Eutichen, Macedonium, Arrium, Eunomium, & quoſdam alios, quò ad iniquitatem illis nõ minores,

totics

toties imp[illegible]ium eiusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum authoritate fuit. Hanc eandem rationem seruare non dubitarunt, quotquot pij principes vel in Iudæorum Synagoga, vel in Ecclesia Catholica functionem aliquam administrarunt. Sic fecit Ezechias, dum lucos
2.Para. 15. succideret, veritatem legis à sacerdotibus edoctus. Idem Iozias non ab alijs quàm à sacerdotibus legem didicit. Iosaphat apertissimè sacerdotum vsus est auxilio, Neque enim conueniebat, vt pij Principes secùs quàm lex docet, facerent. Iu-
Deut. 17. bet sanè lex, vt sacerdotis imperio obtemperetur. Quod si aliquis facere detrectet, à iudice loci contumaciæ det pœnas, vnde ait: Qui superbierit, nolens obedire illi qui eo tempore ministrat, Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur. Vidésne officium iudicum? Nec enim Constantinum secùs fecisse vnquàm auditum est, qui semper sacerdotum vsus est auxilio, ac tãta veneratione Episcopos suspiciebat, vt in eorum Synodum postremus omnium cum paucis ingressus, ac posita humili quadam sede, non prius consederit, quàm annuissent Episcopi. Vide Eusebium libro tertio de vita Constantini: Item Theodoretum

retum libro primo, capite ſeptimo: & Socratem libro primo hiſtoriæ ſuæ capite octauo. Notum eſt, cum accuſatorias chartas de ſacerdotibus ad ſe perlatas exuſsiſſe, atque ita eſſe prolocutum: Hæ quidem accuſationes tempus habebunt proprium, id eſt, diem magni iudicij: Iudicem verò illum, qui tunc futurus eſt, omnes iudicaturum. Mihi ergo homini cõſtituto, de huiuſmodi rebus non licet habere auditorium. Synodum Nicænam ille quidem ſumptibus ſuis aluit: ſed Syluester conuocauit iuxta antiquam Patrum, imò Apoſtolorum definitionem, qui illud inſpirante Domino (vt ait Diuus Marcellus) conſtituerunt, vt nulla Synodus fieret præter Romanæ ſedis authoritatem. Theodoſius quid fecerit, habes in Tripartita hiſtoria, libro nono capite decimonono: Conſtituit videlicet, ſeruandam eſſe fidem Eccleſiæ Catholicæ, ſed vſus conſilio Nectarij Conſtantinopolitani Epiſcopi. Nec malè fecit, quòd ſacerdotis admonitioni obtemperans, in hæreticos leges condiderit. Idem ille à Diuo Ambroſio Eccleſiâ pulſus, cùm reconciliari deſideraret, legem tulit hortatu Epiſcopi Reipublicæ vehementer vtilem. Nec vnquàm

Lib. 2. Tripartit. hiſtor. ca. 2.

aliquid citra sacerdotis arbitrium constituit. Si negligentes sint Episcopi, vt prauos suorum mores aut non corrigant, aut dissimulent, admoneantur benignè: quòd si blandis admonitionibus nihil aut parũ efficitur, summus est aliquis in Ecclesia præsul, cui deferendum est id negotij, vt in omnibus rebus iustissimus seruetur ordo: implorandusque est Deus, vt vineam
Luc. 10. suam expurget, & bonos mittat operarios in messem suam.

IN DIALOGVM QVINTVM DE IVSTIFIcatione.

Dialogus iste quintus, in quo suis Quintanis ac Quartanis materiã iustificationis exponit Monhemius, tot scatet erroribus, quot complectitur ferè sententias: ac proinde iusto aliquo volumine potiùs quàm breui sermone refutandi forent. Nobis tamen stat sententia, & & prolixitatem vitare, & tamen illos perspicuè confutare. Apparet autem non abs re fututum, si eum seruemus ordinem, quẽ in tractatione de fide superiori dialogo cõmodũ esse putauimus, vt videlicet propo-

sita Catholicę Ecclesię doctrina, quid in ea aduersarijs displiceat, primùm aduertam, tum deinde ea ipsa in articulos redacta certis refellamus argumentis. Catholicorum igitur de iustificatione constans est hæc sententia, Iustificationem nihil esse aliud, quàm iustitiæ acquisitionem: vel (si philosophicè loquendum sit) motus ad iustitiam: significat quippe nomen illud motum non secùs atque calefactio, disciplinæ susceptio, atque ita de cæteris. Quo fit, vt non incommodè ex alijs motionibus huius quoque naturam inuestigare liceat. Alij itaque motus tum à contraria tendunt ad contrariam qualitatem, veluti si ex frigido quis fiat calidus: tum à mera priuatione, quando puer ignarus scientia imbuitur: tum ab imperfectiori minusq; intensa ad perfectiorem, si nimirum calidum quiddam reddatur calidius, aut doctus fiat doctior. Ita pari omninò ratione in iustificatione hominis vsu venit. Iustificantur impij tanquàm à contrario ad contrarium mutati. Iustificati sunt quondam cælestes spiritus, priùs priuati, hoc est carentes iustitia & à priuatione moti. Iustificantur boni, quando meliores firmiorē charitatē perfectiorē atq; ardētiorē suscipiunt,

 quem-

Apoc.21. quemadmodum ſcriptum eſt : Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Iuſtificationem hanc poſtremam non inaccommodè in ſcholis ſecundam appellant: aliam verò, priorem. Iuſtam porrò, quæ tali commutatione datur, ipſi animo inhæret non minùs atque calor aquæ calidæ, aut intellectui ſcientiæ. Cæterùm iuſtificationis cauſæ, ſi de priori loquamur ea, qua impius fit iuſtus, in nobis nullæ reperiri poſſunt, quamuis noſtrum hoc ſit, vt animus ad diuinum illud munus accipiendum accommodemus: diſponimur enim fide, timore, ſpe, dilectione aliqua, & pœnitentia, ſicut ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: Item, Timor Domini expellit peccatum: Et alibi, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: Et, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Denique Actor. 2. Pœnitentiā agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum veſtrorum. Hic quippe ſolet in peccatorum conuerſione ſeruari ordo, vt primùm vera eſſe credant cuncta quæ Deus locutus eſt: tum peccatorum ſuorum multitudinem ac enormitatem

Heb.11. Eccle.1. Matth.9 Luc.7. Ex Concilio Tridentino ſeſſione 6. Canone 6

tem expendentes, vtilißimo concutiantur metu, eriganturque deinde ad diuinam misericordiam considerandam, sperantes atque fidentes, DEVM sibi propter Christum fore propitium, illumque tanquàm iustitiæ omnis fontem complecti incipiant, conciteturque ad peccatorum præteritorum detestationem, proponantque in posterum, aliam velle degendæ vitæ rationem inire. Causæ verò iustificationis sunt imprimis variæ, pro diuersis causarum generibus: Finis est, gloria Dei & Christi, simul & vita æterna: Efficiens, misericors Deus, qui nobis gratuitò peccata remittit: Meritoria, est Christi in ara crucis copiosa satisfactio: Instrumentalis, est Sacramentum reipsa vel saltem voto susceptum: Formalis, est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quæque in animum nostrum ipsius benignitate infusa, eum pulchritudine sua exornat. Iustificatio secunda dubium non est, quin Dei gratiâ nobis eueniat, sed ita, vt fides & bona opera, quæ à charitate profluunt, non parùm adiumenti adferant. Ea enim & maiorem iustitiam promerentur, & tandem vitam æternam, quam operibus nostris in charitate DEI factis, tanquàm debitum

premium ac iustam remunerationem donari constat: quemadmodum dicebat regius ille propheta Dauid: In custodiêdis illis retributio multa. Queadmodum enim animi beneficio, quem primo nostro ortu nobis Deus immittit, paulatim incrementum sumit homo, & in perfectiorẽ statum euehitur, robustiorq; fit & solidior: sic & prima illa iustitia, quam in regeneratione aut animi natiuitate vna cũ charitate, spe fideq; perfecta nobis infundit Deus, vitæ statim exercet operationes, & maius incrementũ spiritualis vitæ animis nostris donare solet, nunquàm quieta cõtinenter operatur, semperq; nititur maiorem inducere iustitiã, donec ex hac vita ad longè feliciorẽ migrare contigerit. Hæc & huiuscemodi plura Ecclesia tradidit, quæ omnia huic loco adferre foret operosum & longũ nimis. Sufficiat aũt pauca hęc attulisse, quę ex diametro cum nostri catechistę, patrumq; eius dogmatibus pugnant: quæq; latius in progressu adhibitis probationib' solidis enucleabimus. Nõ erat contentus Monhemius explicatione, quã Patres sanctæ Tridẽtinæ Synodi sess. 6. omnibus proposuerãt, quãq; omnes Christifideles maioribus suis obsequuũdãtes amplecti cõueniebat: voluit aũt alia

Psal. 18.

alia quædam comminiſci ſomnia Monhemius, vſq; adeò abſurda, & obſcura, vt nec; alij, neq; ipſemet ea ſanè intelligat. Sed veluti naris emũctioris, & vt in prouerbio eſt, Προδίκου σοφώτερος, de Eccleſia totius doctrina ſibi céſuram atq; iudicium arrogat. In ijs igitur, quę iam diximus, cùm alia multa ſint, quæ ipſi cum præceptoribus ſuis minus arrideãt, imò prorſus falſa atq; erronea eſſe videantur: tamẽ iſta ſunt pręcipua, quæ modò dicemus: Primò ſiquidẽ negat, Iuſtificationẽ eſſe iuſtitię acquiſitionẽ. Vult eñ Mõhemius, iuſtificationẽ ſolùm eſſe à peccatis abſolutionẽ, idq; ad ſtabiliẽdum aliũ errorẽ, qui eſt, iuſtitiã non ineſſe nobis, ſed ſolũ imputari, vt ſcriptura docere videtur, Abrahę reputatũ eſſe ad iuſtitiam quòd crediderit: ait enim, fidei, qua paſsiõis Chriſti meritũ apprehendimus, tantã eſſe efficaciam, vt illi ſoli imputet Deus iuſtitiã Chriſti. Apertiſsimè hęc nobis occinit ſub initium dialogi 5. *Iuſtificari* (inquit) *ſignificat propriè more hebraicæ linguæ abſolui à peccatis*, Et in definitione ſua ſatis prolixa: *Iuſtificatio, ait, ita definiri poteſt, ut ſit approbatio, qua nos peccatores per fidẽ in Chriſtũ Ieſum De' pater ſola ſua gratuita miſericordia in gratiã receptos tan-*

quam puros, sanctos, innocentes æstimat, remittens nostra peccata, & Christi sui iustitiam, ac sanctitatem nobis tribuens, ut nos tandem propter eandem in gloriam cælestis regni recipiat. Aperta satis est hæc sententia varijs locis in hoc dialogo, licet verbis diuersis expressa. Alterum porrò quod reprehendendum ducit, est causarum iustificationis enumeratio. Illi siquidem causæ sunt, Benignitas patris, efficiens: CHRISTI obedientia & meritum, materia: Forma, fides in Christum Iesum: Finis, iustitiæ Dei demonstratio. Tertiò, iustificationem dicit fidei esse effectum. Quartò, multa asseuerat sequi incommoda, si vllam operibus iustificationem tribuamus. Quintò & hoc displicet, quòd diximus operibus mereri vitam æternam: Vult enim prorsus eam nobis gratis donari. Summa itaque istius hæresis est, iustificari hominem, nihil esse aliud, quàm illi dum fide passionem CHRISTI intuetur, remitti peccata: & quia in continuis manet peccatorum sordibus, nec vnquàm potest verè iustus esse, ei iustitiam Christi, quam fide apprehendit, pro sua reputari, talemque fidem eò perducere, vt vitam æternam adipisca-

dipiſcatur. Hæc ferè ſumma eſt totius huius diſceptationis. Nunc (ſi placet) ſingulas propoſitiones paucis, quoad eius fieri poteſt, refellamus. Prima propoſitio erat, Iuſtificationem propriè ſignificare, (more Hebraicæ linguæ) à peccatis abſolutionem. Negandum in primis non eſt, ſæpius in Scripturis iuſtificari idem valere, quod iuſtum pronunciari, tam in veteri quàm in noua lege, quemadmodum Pſalmo quinquageſimo: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, vbi tamen Hebræis eſt in coniugatione Cal לְמַעַן תִּצְדַּק vt iuſtus ſis. Et Prouerbiorum decimoſeptimo: Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque: item Matthæi viceſimoſecundo: Vos iuſtificatis vos coram hominibus, &cæt. Tamen quando de impij iuſtificatione loquuntur, in alia vtũtur voce iſta ſignificatione, quemadmodum plurimis locis demonſtrari poterit Eſaiæ quadrageſimoquinto: In domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael. Vide apertiorem locum Lucæ decimooctauo, quando de Publicano & Phariſæo loquens: Deſcendit (ait) hic iuſtificatus in domum ſuam præ illo, hoc eſt, phraſi Hebraica, non ille:

Et tanquàm iuſtificationis modū adiungat: Quia, inquit, omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Iuſtificatio itaq; maiorem fecit Phariſæo Publicanum. D. Paulus ad Corinthios ſcribens: Hæc, ait, aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Apertè hic iuſtificationis officium declarat eſſe abluere & ſanctificare, aut paulò etiam amplius: nō enim temerè poſtremo loco addit: Et iuſtificati eſtis: ſed veluti gradibus quibuſdam aſcendens, quaſi dicat: abluti eſtis, dimiſsis ſcilicet omnibus peccatis: nec id tantùm eſtis aſſecuti, ſed prætereà ſanctificati eſtis, & quod omnia complectitur, iuſtificati eſtis. Sic Oecumenius Græcus ille author interpretatus eſt: Puros (inquit) vos reddidit Chriſtus: nec id ſolùm, verumetiam ſanctificauit: neque hoc tantùm, ſed & iuſtificauit. Eadem ferè verba apud D. Chryſ. inuenias, à quo hanc ſuam interpretationem mutuatus eſſe videtur. Theophylactus adhuc apertiùs his concinit: Cognoſcite, inquit, è quantis vos Deus exemerit malis, & quantis vos ille bonis donauerit: nam cùm eſſetis anteà his quæ diximus vitijs inquinati, ab his tamen vos mundiores effecit, & la-

1. Cor. 6.

bem

bem tetram abſterſit : neque id modò, quin & vos ille ſanctificat : Quo pacto? Iuſtificando, inquit, & cæt. Quídnam deſiderabis apertius? audíſne iuſtificando & ablui nos & ſanctificari? Tú ne tantus es, qui audeas te his Eccleſiæ proceribus, non dico parem ſcientia vel vitæ conſtituere ſanctimonia, verùm etiam re ipſa impudenter præferre? indignus tamen, qui ijs loquentibus hiſcere, nedum loqui, debeas. Diuus Ambroſius ſimilem habet, licet alijs verbis ſententiam, vt non ſit fas vlli de loci iſtius intelligentia ambigere. Cæterùm ipſum Apoſtolum etiam alio in loco hæc confirmantem audiamus: 1.Cor.1 Eccleſiæ, ait, Dei quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto IESV. Agè Monhemi, quando ſanctificati fuerunt Corinthij, niſi dum à peccatorum ſordibus abluerentur? Si ſic profectò re ipſa idem eſſe videntur iuſtificatio & ſanctificatio, vel ſaltem ſanctificationem illa includit. Quid autem vetat apertius CHRISTI teſtimonium adferre? Qui lotus eſt, inquit, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis: ſed non omnes. Et iterum. Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem dixi vobis. Ioan.13.

His

His verbis án non eleganter expresſit ſeruator, iuſtificatione mundari homines? Mundum autem eſſe, non eſt peccatum nullum imputari, ſed intus in animo aliquid recipere, quemadmodum alibi dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Diuus Auguſtinus libro primo de peccatorum meritis, capite decimo: Legimus, inquit, in Chriſto iuſtificari, qui credunt in eum propter occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ ſpiritualis. Deinde capite decimoquarto, Non ſola Chriſti imitatio iuſtos facit, ſed per ſpiritum regenerans gratia, propterea & Adam vnus eſt, in quo omnes peccauerunt, quia non ſola eius imitatio peccatores facit, ſed per carnem generans pœna. Ecce quàm apertè iuſtificationis opus proponitur. Sicut enim peccatores efficimur, peccatum ipſum in nobis recipientes: ita quoque iuſtificamur, dum iuſtitiam in animis noſtris adipiſcimur. Græci interpretes admodùm ſcitè id declararunt, cùm aliàs ſæpiùs, tum in quartum caput ad Romanos, quando cauſam adferunt, cur de fidei iuſtitia loquens Apoſtolus, in medium adduxerit verſiculum ex pſalmo trigeſimoprimo: Beati quorum

Matth. 5.

remiſſæ

remissæ sunt iniquitates, & cæt. Rem (inquit Theophylactus) vt augeat magni facit: nam si beatus est, cui gratis remittuntur commissa, longè magis & qui fidem prætulerit, iustitiam assequitur. Similiter & Oecumenius: Si beatus est, cui peccata secundum gratiam remissa sunt, terque quaterque certè beatus est, quem Deus secundum gratiam iustificauit. Manifestiùs tamen idem habet Diuus Chrysostomus in hæc verba: Si beatus, qui remisionem peccatorum gratuitò accipit, multò magis qui iustificatus etiam est, fidemque ostendit. An non audis Monhemi, luculentam distinctionem inter peccatorum remisionem & iustificationem: pluscu-lum dico aliquid iustificatione quàm tali remisione declarari. Iustificatio igitur prima est, tanquàm noua quædam natiuitas, iuxta illud Christi verbum, Oportet vos nasci denuò. Quid autem natiuitate agitur, nisi quòd vita recens donatur? Quid igitur tibi, alijsque in mentem venit, vt sanctificationem à iustificatione excluderetis? Mirum est, cùm & Grammaticen & Aristotelem tuis Secundanis profitearis, non potuisse ex vtraque scientia iustificationis etymon aut veram signi-

ſignificationem deprehendere, vt ad hæbraiſmum confugiendum fuerit, in quo tamen quotienſcunque impij iuſtificationem indicat, ſanctificationem quoque ſemper declarat. Conſule Eſaiæ caput 45. In Domino iuſtificabitur & laudabitur omne ſemẽ Iſrael. Rogamus ex te Monhemi, ſi ſanctificantur fideles, quando ſanctificentur, an in iuſtificatione ipſa, an verò poſteà? D. Auguſt. diſertis verbis oſtendit alibi, reconciliationem, quam iuſtificationem fateri cogimini, non niſi per dilectionem fieri, eamque qua filij Dei nominamur: Non reconciliamur (inquit) Deo, niſi per dilectionem, qua etiam filij Dei appellamur. Dilectio autem quid eſt aliud, quàm Spiritus ſancti donum, diffuſum in cordibus noſtris, vt Apoſtolus teſtatur, dicens: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Magna eſt certè charitatis virtus, atque vſque adeò, vt etiam nos amicos Dei efficiat. Si hæc iuſtificatione datur, procul dubio & gratia datur, & iuſtitia & ſanctificatio. Quādoquidem perfecta atq; ſyncera Dei charitas ſine his omnibus cōſiſtere nequit. Et hæc de primo articulo hactenus. Secundus erat, veram iuſtitiam in pijs

Libro de fide & Symbolo, cap. 9.

Rom. 5.

in pijs hominibus nullam inesse, sed tan- „
tùm imputatione iustos esse, externa scili- „
cet Christi iustitia. Hic primùm ignoramus, num magis admirari debeamus summam impietatẽ, an potiùs inscitiam Monhemij. Tantúmne Christus potuit mortis acerbitate, vt iustitia nos cumularet ac perfunderet, quam præuaricatione Adamus omnibus abstulit? Originalem iustitiam habuit protoplastus, qua Deo supra modum placuit, eam inobedientia deperdidit: Christus igitur quid contulit, si non illud, quo per peccatum fuimus spoliati. Rom. 5.
Diui Pauli doctrina hæc est: Sicut abundauit delictũ, ita & donum: hoc est, quemadmodum potens erat præuaricatio atque peccatum ad hominis interitũ, ita & Christi meritũ ad eiusdem resurrectionẽ. Apertiùs ista enucleabimus, quò planè intelligas, quænam illa sint, quæ priùs deperdita Chrstus nobis abũdè restituerit. Originali iustitia geminũ beneficiũ cõsequebantur primi nostri parẽtes, alterũ externũ, internũ alterum. Ad illud pertinebãt quietũ in oĩa animãtia dominiũ, & constans perpetuaq; bona corporis valetudo, & singularis quædã atq; pacata oĩm membrorũ, quã rationi præstabãt, obediẽtia: corporis deniq;

im-

immortalitas, & id genus alia. Hæc omnia externa idcircò non incommodè dici possunt, quia apertè & nos in nobis, & alij in alijs ista deprehendunt, & aduertunt. Internum autem atque occultum donum fuit voluntatis cum Deo conformitas, animi puritas, atque ornatus longè præclarissimus, summa cum Deo amicitia, vitæque æternæ expectatio. Ista occulta fuerunt, nec sensibus quidem, neque exteriori cognitioni obuia. Priora illa Christus non integra certo consilio restituit, nō immortales nos effecit, nō membra parere intellectui vt iustificati sumus statim experimur, non omnia bruta animantia nobis obsequuntur, imò nihil prorsus quod ad ista externa dona attinet, post iustificationem recuperasse videmur: hinc ægritudines, famem, sitim, labores ac ærumnas innumerabiles perpetimur, ac mortem omnes obire cogimur, nisi quòd peculiari quadam Dei beneuolentia, qui virtutibus sunt auctiores, aut non omnia sunt naturæ experti incommoda, aut compertum est, creaturas fuisse multis sanctimonia præditis, præ alijs obsequentiores. Sicut D. Bonauentura de S. Francisco, & item de alijs D. Gregorius in libris

Dia-

Dialogorum memoriæ prodidit. Voluit nos in his exerceri Christus, vt fides meritum haberet, & ne miraculis Christiana niteretur religio. Cęterùm posterioris generis dona quis dubitare poterit, quin ea Seruator abundè restituerit, si modò donum (iuxta Apostoli sententiam) plus quàm delictum abundasse dicendum est? Cur non igitur iusta erit anima post Baptismum à sordibus abluta? Quid impedit, quo minùs sanctitas in animis nostris esse queat, maximè dum sanctos & iustos nos scriptura appellat? Nunquàmne hanc argumentandi formam in Aristotele legisti? Iustus est, igitur iustitia est præditus. Doctus est aliquis, habet igitur doctrinam. Vide quid in primum caput secũdi libri Topicorũ tum ipse, tum etiam Arabes, Græci, Latiniq; eius interpretes dicant. Si recta est collectio (sicuti re vera est) doctus est, ergo doctrina est affectus: cur non pari ratione sequatur, iustus est, igitur habet iustitiam? Iustos autem sępenumero scriptura appellat. Vnde, Rom. 1.
Iustus ex fide viuit. Et Saluator Abelem iu- Iob. 5, 2.
stum dicit, Matt. 23. Dicuntur & parentes Ioannis Baptistæ ambo iusti fuisse. Apo- Luc. 1.
stolus etiam ait, Per vnius obeditionem iu- Rom. 5.
sti constituentur multi. Sed dices fortasse,

externam esse prædicationem, homo iustus est, ac proinde talem argumentationẽ nullam prorsus habere vim. Mira est hæc externa attributio, & à seculo nunquam præterquam ab his præstigiatoribus audita, vt à qualitatibus quæ inesse possunt extrinsec⁹ nomẽ res aliqua sortiretur. Accõmoda, si libet, aures, quam graphicè imputatam hanc externam iustitiam hæreticorum pius quidam vereque doctus, ac in omni scientia versatissimus vir depinxerit his versibus:

Ponis iustitiam tibi imputatam,
Non quæ ponitur orthodoxè inhærens,
Cur hoc? es malè conscius tibi ipse,
Cui ut iustitiæ nihil, sed ingens
Contra iniustitiæ lues inhæret.
Hinc spes omnis abest tuæ salutis,
Ne quis iustitiam det imputatam.
Esto iustitia imputetur absens,
Vt respondeat ergo condecenter
Ius causæ, meritoq; retributum,
Sic ut iustitia est tibi imputata,
Sic mercede frueris imputata.
Proq; iniustitia quæ tibi inhæret,
Est & pœna tibi futura inhærens.

Non aduertis Monhemi, quàm elegãter

Poeta

Poëta tuas aliorumque ineptias deliniauerit? Cui vnquã docto vel in aliqua ſcientia mediocriter verſato perſuadere poteris, iuſtum quempiam externa iuſtitia poſſe appellari? Dicito, ſi placet, nõne corpus Chriſti Eccleſia verè ab Apoſtolo eſſe dicitur? Corpus autem iſtud eiuſdem naturæ eſt cũ capite ſuo Chriſto: quomodo autem naturam habebit eandem, ſi non adſit eadẽ prorſus vita quæ capiti ineſt? Vita autem eſt gratia, iuſtitia, ſanctitas, charitas, ergo viua Chriſti membra non imputatã, ſed præſentem: nõ externam, ſed inhærentẽ iuſtitiã, ſanctitatem, charitatem, non ſecùs atq; caput ſuũ habet. An tu fortaſſe vidiſti vnquã quempiam externa viuere vita? Num ideas Platonicas, aut intellectum agentem Auerrois nobis rurſum introducere ſtudes? Quorum ille (ſi Ariſtoteli credendum eſt) externa humanitate homines nos eſſe dicebat. Iſte verò externo intellectu nos intelligere pari ſtultitia aſſeuerabat. Huc tendit etiam cũ ſuis maioribus Monhemius, quãdo nõ obſcurè fateri cogitur, externa vita Eccleſiã, quę corpus eſt Chriſti, viuere. An nõ hæc inſulſa videbuntur cuiuis, & tam à ratione q̃ experiẽtia alieniſsima? Nec nõ ab oĩbus doctis atq; indoctis meritò im̃pbã-

da? Quæ & ab ipso Apostolo tam luculenter refelluntur, dum inquit, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Charitas autē iustitia est: sic enim D. Augustinus loquit adversus Pelagianos cap. 70. libro de natura & gratia. Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est, &c. Quare & iustitia in cordibus nostris verè inest per Spiritum sanctum, qui infirmitati opitulatur, & cooperatur sanitati. Vultis apertius aliquid, quod vestram hæresim infringat? nunquamne legistis, Membra vestra sunt templum Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Si tēplum sunt membra nostra, erunt vtiq; aptum, præparatum, ac tanto numini consecratum templum. Habebunt igitur sanctimoniam tanti Spiritus presentia quòad eius fieri potest dignissimam. S. scriptura plena est huiusmodi phrasibus, quibus inesse nobis iustitia apertissimè commōstratur. An ne quotiens sanctificatos nominat Apostolus, tum sanctimoniam Christianis attribuat? Quid enim sanctificatio, si non sanctimoniæ infusionem significat? Possemus quamplurimas veterum sententias adferre,

Rom 5

1. Cor. 6.

ferre, si necessarium foret, qui ad vnum omnes nihil aliud docēt, quàm quæ diximus. Vide interim loca, quę ex Gręcis superiori articulo adduximus. Nam & huc illa referre non incommodum est. Cõsule pręterea D. August. varijs in locis libri de natura & gratia, vtpote capite 38. 48. 63. Cęterum dicet Monhemius, & quotquot sunt istorum errorum assertores, án non aliquando legerimus fidem Abrahæ reputatam esse illi ad iustitiam. Hoc enim est, (vt illi interpretantur) fidem Abrahæ Deum suscepisse, eique iustitiam suam cùm nihil prorsus infunderet in animum, sed extrinsecus tãtummodò attribuerit, adscripsisse. Quasi Deus hoc modo dixerit, Non est quidem in te iustitia, verùm hæc tua fides istud apud me efficiet, vt quod tibi non inest, tibi reputem inesse, cùm alioquin sis sordibus plenus. Hoc nempe videtur vocula (reputatum) si diligentiùs significatio expendatur, declarare. Sed ô ter miseros ac deploratos homines, quam proni, quamq; præcipites in propriam ruunt perniciē, dũ ita procaciter ad falsos sensus verba alioqui S. Scripturæ aperta detorquent. An nondũ intelligitis, fidē reputatam ad iustitiam, veram in animo iustitiam permittere? Et si nondũ

intelligitis,auſcultate diligẽter, perſpicuè declarabimus. Primam illam iuſtitiæ infuſionem nemo vnquam vel hominũ vel angelorum operibus promereri potuit, atq; id planè ſuis meritis efficere, vt impius cũ foret,ſanctimonia imbueretur. Solius Dei opera id erat efficiẽdum, quod creaturarũ viribus deerat. Christus igitur quãdo morte ille ſua ignominioſa ac acerba dona immẽſa dedit hominibus,id à Patre impetrauit,vt quicunque grauiſsimis peccatis immerſi fide mortem eius amplecterentur & crederent,gratis condonarentur illis peccata,& iuſtitia vera non aliter imbuerentur,quàm ſi ipſimet operationibus,laboribus, ſudoribusq; ſuis ea omnia dona fuiſſent promeriti. Fides tuuc ad iuſtitiam reputari dicitur,quando eam in hominibus inuentam Deus admittit, dignamq; ducit, cui iuſtitiæ donum conferatur. Cùm tamen ipſa per ſe nihil horum meretur. Hac igitur ſententia (qua multum nituntur hæretici) non id voluit Apoſtolus, quod illi ſomniaſſe videntur, iuſtitiam ſcilicet extrinſecùs adhiberi: ſed iſtud potius gratis videlicet omnino iuſtitiam in impiorum conuerſione infundi, nullis eorum operibus id promerentibus, vt iam declaraui-

rauimus. Quando autem hîc de fide loquimur, alia quæ iustificationem præcedũt, de quibus alio articulo, exclusa nolumus. Atqui vt consuetudinis nostræ non obliuiscamur, anathema quo Patres Tridentini Concilij huius erroris assertores perstringunt, subijciemus. Si quis dixerit hominẽ iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis etiam inhæreat, aut etiam gratiam qua iustificamur esse tantùm fauorem Dei, anathema sit. Sed de isto articulo hactenus satis. Nunc ad tertiũ progrediamur.

Docet hîc imprimis, iustificatiõis formã, esse fidẽ: materiã, Christi obedientiã & meritũ: finẽ verò, iustitię Dei demõstrationẽ, &c. Quãuis cõsultius videri poterat, Cõcilij Tridentini decretum atq; explicationẽ discipuls ꝓponere, ne dum noua quędam effingimus (vt fieri solet) facilè in errorem prolabamur: voluit tamen Monnemius fortasse exactiùs, vt illi videtur, rem declaraturus, alias quasdam causas iustificationis comminisci. Finem vult esse iustitiæ Dei demonstrationẽ, quod quidem

 verum

Rom 3 verum esse cum D. Paulo fatebimur, si alia non excludantur. In hoc enim vocati sumus, vt benedictioné hæreditate possideamus, vtq; Dei gloria, Christiq; meritū apud omnes magis propagetur. Materia nō videmus quanam ratione sit Christi obedientia & meritū: quandoquidem siue de ea loquatur materia, ex qua res cōstituitur (quemadmodum dicimus domus materiā lapides esse & ligna) siue de ea quæ alicui proposita est, circa quam industriam exerceat, sicuti materia curarum opes sunt, & hæreses infamiæ, vel deniq; de materia in qua forma inest, nullo horū tñ modo Christi obedientia commodè materia vocari poterit. Nā iustificatio quia est mutatio quędam, ex nulla materia propriè constat. In animo verò humano inest (si hoc modo materiæ nomen intelligere libeat) vel circa iustitiā, quæ illum copiose (vt paulò antè diximus) perfundit, versatur. Christi passio meritū est, quo iustificatio nobis donatur, ac proinde meritoriam rectiùs causam quàm materiam dixisses. Expressit hoc non ineleganter D. Apostolus eo quem tu produxisti loco: Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Præpositio (Per) materiam non indicat,

Marginal notes: 1. Pet. 3 (beside "mus, vt benedictioné..."); Rom. 3 (beside "duxisti loco").

dicat,sed potius (Ex), quemadmodum D. Basilius libello de Spiritu sancto vtiliter docuit. Cur autem fidem formam esse iustificationis existimas? An quia nullam virtutem præter eam animis inesse putas? In precedenti articulo hoc quicquid est negocij abundè satis expediuimus, quando docuimus solidis S. Scripturæ testimonijs iustitiam veram nobis inesse, qua iusti tanquam per formam diceremur. Si fides nos iustos facit, an non rectè sequetur, fidem esse iustitiam, si à coniugatis argumentari libeat? Iusti etenim formam, qua ex parte iustus est, iustitiam esse necessum est: quemadmodũ virtute præditi, ipsamet virtus est. Quis tam nullius cerebri fuit vnquam, qui rubri corporis formam diceret esse pallorem aut colorem cœruleum, vel alium quempiam medium aut extremum, & non potius rubedinem? Mirum est te, qui totam ferè ętatem inferioribus disciplinis mancipasti, nõ aduertere, quàm sit ineptè dictum, fide tanquam forma iusto propria hominem iustũ esse. Si quispiam diceret, asinũ asinina forma esse hominem, an non Sardonio risu tibi videretur excipiendus? Quid ita? Nisi quòd distinctas formas permisceat, quando asinina forma asinus est, homo autem

quiſquis eſt, humana forma talis eſt: ita fideles fide dicimur, iuſti verò iuſtitia. Sed iam tempus poſtulat, vt & alium articulum aggrediamur, qui in hunc modum habet, Fidei effectum eſſe iuſtificationem quemadmodum initio Dialogi apertis verbis dicitur. Verba iſta ambigua ſunt, quæ verā ac falſam ſententiam admittere queant, ſicut & cætera quāplurima hoc peſtifero libello vafrè cōtexta. Falſus ſenſus eſt, iuſtificationē omnino p fidē dari, tanq̃ cauſam veram atq; formalem. Si iſtud dicere voluit Monhemius (vt apertè ſatis mentē ſuā poſt pauca expoſuit) non erit vehementer nunc cū eo diſceptandū, quando hoc duobus pcedentib' articulis copioſe ac nō ſegniter abſoluimus: de hoc ſolū monendus videt̃ ingenuus lector, vt ſententię iſtius miret̃ ſtupiditatē, quę ſuos authores planè carere ſenſu cōmuni, atq; omnē exuiſſe pudorē arguit, vtpote qui hæc tā ridicula et falſa repugnante cōſcientia tanq̃ vera et ſacra oracula alijs credenda proponunt. Sanior porrò ſenſus eſt, fidē eſſe viā ad iuſtificationē, quēadmodū D. Petrus aliquādo dixit, Fide purificās corda eorū. Et D. Paulus, Arbitramur iuſtificari hominē p fidē ſine operib' legis. Et poſt pauca, Qui iuſtificat circun-

Actorū 15
Rom. 3

cuncisionē ex fide, & p̄putiū per fidē. Et alibi sępius. Hoc sensu nō propriā causam formalem iustificationis fidē appellāt, sed eam potiùs, quā præparatoriā vocare liceat: fides siquidē hoc in nobis agit, vt p̄parētur atq; accōmodētur animi nostri ad iustificationē in sese recipiendā. Neq; verò id fides efficit sola, sed preterea charitas, sed misericordia & eleemosynę: sed timor Domini, sed pœnitentia, sed inuocatio, multáque id genus alia, quę longū foret enumerare. Hinc est q̄ nō soli fidei iustificatio in Scripturis tributaur, sed sępenumero alijs quoq; q̄ iam recēsuimus, vt intelligat Monhemius, nō minùs rectè dici posse, causam iustificatiōis esse pœnitentiā, q̄ fidē. Sed agè, Scripturas in mediū producamus, quib. vim pœnitētię conspicuā faciamus. Imprimis enim ait Ezechiel: Si impius egerit pœnitentiā ab oībus peccatis suis q̄ operatus est, & custodierit oīa p̄cepta mea, & fecerit iudiciū & iustitiā, vita viuet, & nō morietur: oīm iniq̄tatū ei⁹ quas op̄atus est, nō recordabor: in iustitia sua, quā op̄atus est, viuet. Et ali⁹ p̄pheta, Cōuertimini, inq̄t, ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & plāctu, & scindite corda vr̄a, & nō vestiméta vestra, & cōuertimini ad dn̄m Deū vestrū. quia

Ezec. 18

Ioel. 2

quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis (id est placabilis) super malitia, quis scit si côuertatur & ignoscat. Similia habet & Esaias

Esaiæ 1. Propheta Euangelicus: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Sed quid ista commemoramus, cũ huiuscemodi sententijs plena sint Prophetarũ oracula? Aues fortasse cognoscere quid de misericordia dicant Scripturæ? Nõ ignotum est Christi testimonium Matth. 5. cap. Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. Et alibi Sapiens: Per

Pro 15. misericordiam (ait) & fidem purgãtur peccata. An non videas, vt misericordiam hic cum fide copulet, tanquam eandem vtriusque facultatem compẽdiose exponens? Et

Luc. 11. Christus rursum: Date eleemosynam, & o-

Dani 4. mnia munda sunt vobis. Daniel quoq;, Peccata tua eleemosynis redime. His succinit

Tob. 12. Tobias: Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata. Copiosiùs tamen hac de re hisce verbis locutus est Esaias: Frange esurienti panem tuũ, & egenos va-

Cap. 58. gosq; induc in domũ tuam: cùm videris nudum operi eum, & carnẽ tuam ne despexeris: tunc erũpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam

tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. De spiritali eleemosyna non dissimile quiddam dicebat D. Iacobus postremo capite, in hæc verba: Qui conuerti fecerit impium ab errore vię suę, saluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Charitatem nemo dubitet hoc ipsum efficere. Charitas enim, vt ait Apostolorũ Princeps, operit multitudinem peccatorũ. 1. Pet 4 Quin & ipse Dominus ait, Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multũ. De Luc. 7. Dñi timore ita loquitur Sapiens: Timor Eccle 1 Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Et de inuocatione Ioel Propheta, Quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Rom. 10. Sed qd prolixiores sumus in re adeò perspicua? quã tũ veteris, tum noui Instrumenti testimonia confirmant? Si igitur res ita sese habeat, vt non sola fides ad iustitiæ introductionem & amplexum sufficiat, sed & alia quę breuiter enumerauimus efficere compertum est: qui fit, vt tu solam fidem iustificationis causam esse velis, & reliquas virtutes repudies? Nam vt fides, ita & eleemosyna extinguit peccatũ, & charitas operit multitudinem peccatorũ, simul & timor Domini (vt paulò antè dictum est) expellit peccatum.

catum. Animaduertis igitur Monhemi, quàm ſtolidè iuuentutem tuam doceas, & vt reliquis carnis frena relaxes, dũ cæteris profligatis virtutibus, ſolam fidem ad omnia bona adipiſcenda ſufficere imprudenter exiſtimas. Sed dices; te Apoſtolum Paulum ſecutum, qui ſemper & vbiq; ferè fidẽ iuſtificare contendit. Verùm priuſquã tu in lucẽ editus eſſes, Eccleſia Catholica verba Apoſtolorũ ſuggerente Spiritu ſancto optimè intellexit, vt te interprete, vel potiùs peruerſore nõ indiguerit vnquã. Aduerte q̃ ſolidã cauſam Catholici tã veteres q̃ recentiores adferãt, cur tã ſedulus ac multus fuerit Apoſtolus in fidei cõmendatione. Exploratum habebat (inquiunt) Romanos aliosque Iudæos plurimũ operibus ſuis tribuere, ijsq́; planè acceptum ferre ſuam ipſorum iuſtificationem: fidem autem tanq̃ aduentitiũ quiddam & extraneũ, nõ ita magni facere, quæ tamen pluris erat, q̃ quicquã eorũ quę pręceſſerant, æſtimãda. Vt igitur hanc ſtolidã ac pernicioſam eorũ perſuaſionẽ euerteret, atq; ad fidei amplexum magis hortaretur, fidem pro dignitate ſua cõmendat, nihil interim aliorũ quæ & ipſa ad iuſtificationem requiruntur excludens. Hoc porrò eò fecit procliuiùs,

quò

quò fides peculiariter quippiã habet quod in alijs virtutibus non ita commodè inuenitur. Eſt nempe omnium fundamentum & baſis, demonſtratque quiſnam author ſit in nobis bonorum omnium, à quo cuncta nos petere conueniat, dirigitq; actiones omnes in debitum finem. Facit enim vt eleméſyna quàm Dei opitulante gratia donamus, fructuoſe erogetur, ne vanam aucupemur ab hominibus gloriam, néue vel in dæmonis cultum, vel alia de cauſa ſimili vel deteriore expendamus. Sed vt intueamnr authorem ſalutis noſtrę boniq;, quod operamur, cõſummatorẽ IESVM CHRISTVM, atq; ex illo ceu fonte quodam cunctahauriamus, eiq; vindicemus quicquid ad noſtrã pertinet ſalutẽ. Efficit igitur fides, vt actiões oẽs à fine vero non deuient, ſed dũ in eũ deſtinantur, ab eo rectitudinẽ ſortiantur & bonitatẽ. Siquidẽ iuxta moralium Philoſophorũ vulgatum ἀξίωμα, ſi finis bonus eſt, vniuerſam quoq; actionẽ bonam eſſe, neceſſum eſt. Hęc eſt ratio, cur tãtopere ac diſertis verbis fidẽ extulerit Apoſtolus, non quòd illam voluerit eſſe veram iuſtificationis cauſam (à qua tanquam à forma iuſtus quiſquam appellaretur) ſed vt operibus iuſtificationem Heb. 12.

præce-

præcedentibus non fiderent Iudæi, quemadmodum consueuerant, fidemq; tanquã rem parum vtilem negligerent, quin potius intelligerent, fidem omnium bonorum operum, quæ nos Deo commendant gratosque faciunt, esse basim atq; fundamentum, sine qua Deum nemo rectè cognoscere, neque inuocare, neq; salutem impetrare, neq; quicquam quod ad perpetuã fœlicitatem aliquid conferat, absoluere aut consummare potest.

Quintus articulus est, *nullam planè iustificationem nos operibus nostris pijs mereri.* Cui, si placet, & sextũ adiungamus(ex eodẽ siquidem fonte manat vterq;) *non deberi operibus bonis æternam uitam tanquam debitam eorũ mercedem.* Nullam prorsus energiam operibus tribuunt nostri temporis hæretici, neq; ad iustificationem, neque ad æternam salutẽ. Non dubium, quin pessimè sibi cõscij metuant, ne si operibus vitam illam cœlestẽ homines promereri dicerentur, tam sibi q̃ suis asseclis ab omni pietate alienissimis nullus illic relinqueretur locus. Volũt sibi ad omnem impietatem frena laxari, & facultatẽ flagiciosis hominibus facere, quæuis etiam scelera, quò plures in suam sententiam pertrahant, committendi. Amant nimirum

mirum homines hac tẽpestate eos, qui carnis commoda docẽt, quiq; spaciosum prædicant cęlestis regni aditum. Proptereà Lutherus quondã nulla prorsus flagicia quen quam ab æterna salute excludere, pręter infidelitatem, docebat: quia nihil gratius fore sciebat, q̄ si impunè liceat eis in quæuis ruere vitia. Posteriores autẽ eius sequaces (in quorum numero Monhemius recẽsendus est) opera quidem prorsus à vita humana non excludunt, non tamen hoc admittunt, quod iam pridem docet Ecclesia, quodq; nos copiose ex S. Scripturis probabimus, promereri nempè eadem ista opera vitã felicitatemq; sempiternã. Imò ne iustificationem quidem vllã actionibus tribuerũt, sed eas tantùm gratitudinis ergò edendas esse, ne prorsus ingratum Deo animum prębeamus, cõtendunt. Nos fatemur, illis quidem opera peccatorum nunquam pręstitisse, vel iustitiam verã, vel salutẽ, imò ne gratos quidem vllos Deo fecisse nouimus. Fatemur pręterea, nec opera hominũ, vt à libero arbitrio nostro proficiscũtur seclusa Christi gratia, tale quippiam vnquã præstare potuisse: fatemur deniq;, operibus nũquàm esse effectum, vt qui impius esset, in gratiam reciperetur. Verùm quidni fiat,

vt qui iustus est, auctior fiat iustitia per bona opera, quæ charitas ipsa producit, vtque eorundē illorum merito vitā assequamur æternā? Duplex est nēpè iustificatio, altera prior, qua primū iustitia perfunditur, qui improbus anteà fuerat: altera secunda, qua magis adhuc iustificatur qui iustus est. Priorē illam nulla merentur opera, sed gratis deus eā concedit, iuxta D. Pauli sentētiam: Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c. Et alibi sæpiùs, quando fidei iustificationem illam attribuere videtur. Posterior operibus comparari & potest, & omninò debet. Hac porrò in re vnū istud diligēter annotandum occurrit. Quamuis videlicet primam illā iustitiæ infusionē opera nulla tāquàm debitā mercedem promereātur, esse tamē planè necessaria, vel re ipsa, vel saltem desiderio exhibita. Si enim pœnitētia præcedentium delictorum, atq; propositū in melius mutandæ vitę ac Satanæ suggestionumq; eius renunciatio in Baptismate requiratur, nō sunt prorsus, ne à prima quidē iustificatione reijcienda opera. Nusquàm scriptura dixit, fidē solam iustificare, vt ea sola reiectis cæteris sufficiat. Hinc D. Hieronymus libr. 2. aduersus Iouinianum: Sed & Iohel, inquit, clamat, Sanctificate ieiunium,

Rom. 3.

nium,

nium, prædicate curationem, vt monstraretur ieiuniũ sanctificari cæteris operibus, & sanctificatũ ieiunium curationi proficere peccatorũ. De posteriori iustificatione in initio huius dialogi diximus peropportuna similitudine explicari posse, vt etiã illa operib⁹ bonis, quæ à præcedẽte gratia atq; infusa iustitia proficiscuntur, mirũ in modũ adiuuetur. Norũt Philosophi, calidã aquam intensiorẽ suscipere calorẽ, nõ solùm igne exteriùs in eam agẽte, sed adiuuãte etiã priùs recepto calore. Norũt promiscuè omnes docti, atq; idipsum in se nõ rarò experiuntur, quantũ iuuentur doctrina ad intelligenda, tum ea quæ legũt, tum quę alios docẽtes diligenter auscultãt. Docent omnes, altiores mitti radices habituũ, si quando per habitus operamur. Cùm igitur iustitia sit habitus (licet infusus nõ nostrâ industriâ acquisitus) quid vetabit, quò minùs exercitio reddatur firmior? quid de D. Iacobi sententia dices? Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non per fidem tantùm. An ignoras illa aduersum te tuosq; posita esse, qui obscuriora in Epistolis Paulinis loca criminamini? An nõ palàm tuæ institutioni verba ista refragãtur? Docẽt certè nõ obscuris verbis alibi

ſæpius ſcripturæ, opera noſtra Deo nos effi-
cere cõmendatiores atq; chariores, queád-
Col.1. modum D. Paulus Coloſſenſibus ſcribens:
Vt ambuletis (inquit) dignè, Deo per om-
nia placẽtes, in omni opere bono fructifi-
cãtes. Et angelus Tobiæ 14. fatetur, operib'
præcedentibus ipſum Deo acceptum fuiſſe.
Ioan.14. Chriſtus quoq; aliàs: Si quis, ait, diligit me,
ſermonem meum ſeruabit, & pater meus
diliget eum, & ad eum veniemus, & mãſio-
nem apud eum faciemus. Et rurſum: Ipſe
pater amat vos, quia vos me amaſtis, & cre-
didiſtis quia à Deo exiui. Ecce quàm ele-
ganter, quamque luculenter rem ipſam
expoſuit ſeruator noſter, vt imprimis ijs
paternum amorem promitteret, qui ſer-
monem eius ſeruarent: nec non & totius
S. Sanctæ Trinitatis aduentum. Quid hoc
Monhemi, quæſumus aliud ſonat, quàm
opera, quibus ſermo diuinus impletur, ſpi-
ritus gratia vberiorem & cumulatioré me-
reri iuſtitiam. Neque verò ſibi ſolis fauoré
Dei operibus pijs ſancti conciliant, ſed &
alijs quoq;, ſicut D. Auguſtinus libro 21. de
Ciuitate Dei cap. vltimo docet, & à nobis
ſequẽti dialogo copioſe oſtẽdetur. Si itaq;
hoc noſtra opera pręſtant, qs dubitat, quin
& iuſti[illegible] nobis augeant, & omnia ſecum
adſe-

adferant. Quid est enim Deum ad aliquem accedere, vt in eius anima moretur, quàm iustitia maiori illum imbuere, charitatem ardentiorem accendere, & nihil non largiri, quo opus habeat is, qui ad cælestem patriam anhelat. Quando aliquem Deus amore prosequitur, an arbitrandum sit, sterilem illum esse amorem, vt nihil amato conferat? Absit hoc à munificētissimo domino. Qui ergo charitatem Dei operibus promeretur, iustificationem per eadem meretur. Diuus Augustinus in Epistolam Diui Ioannis scribens: Charitas, ait, meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Idem autem charitatem à iustitia non distinguit, vt superiùs dictum est. Quocircò iustitiæ incremētum opera à charitate perfecta inducunt. His ijsdem operibus æterna vita sempiternaq; gaudia tanq iusta debeē merces, vt partim Christus ipse, partim Apostoli sancti, partim alij vetustissimi scriptores abundè testatum reliquerunt. Hinc toties audire in scripturis est retributionis vocabulum, hinc toties nomē mercedis. Et nōnunquàm his vocibus suppressis ideò dari dicitur ęternum gaudiū, quòd pia pręcesserint opera. Adferamus apertas scripturas, quas nemo nisi sacrilegus refellere audeat.

Christus Dñs Mat.5.post enumeratas beatitudines: Gaudete, inqt, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Et apud eundem: qui potũ dederit vni ex minimis istis calicẽ aquę frigidæ tãtùm in nomine discipuli, Amẽ dico vobis, non perdet mercedẽ suã. Rursus alibi inuenias, Ecce ego venio citò, & merces mea mecũ, reddere vnicuiq; secundum opera sua. Simile quiddam dicebat Propheta: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, ecce merces eius cum eo. Prætereà D. Paulus inquit: Si cuius opus manserit, mercedem accipiet. Ecce quàm apertè hic mercedis nomine vita appellatur æterna. Eandem retribui operibus plurimæ tradunt scripturæ, veluti 2. ad Tessal. primo: Si tamen, ait Apostolus, iustum est apud Deum retribuere tribulationẽ his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiẽ nobiscum. Et alibi: Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut domino & non hominibus, scientes quòd à Domino accipietis retributionem hęreditatis. Christus quoque Seruator docens, quínam ad prandium sint vocandi: Pauperes, inquit, debiles & claudos voca, qui nõ habent retribuere: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Et iterũ Propheta Dauid, cuius

Matt.10
Apoc.22.
Esaię 40.
1.Cor.3.
Col.3.
Lucæ 14.

cuius in præfatione tua Monhemi, tu verba recitasti: In custodiendis (ait) illis retributio multa. Sed quid opus est plures agglomerare scripturas, cum hæ luce clarius demonstrent, & mercedem esse, & retributionem nostrorum operum, vitam sempiternam. Si merces igitur meritū præcessisse est necessarium: nunquàm em hęc disiuncta videas, neq; vnum sine altero, quia correlatiua sunt, intelligi potest. Alia multa sunt scripturæ loca, quæ etsi mercedis aut retributionis nomen non exprimant, non obscurè tamen rem ipsam quam cupimus exponunt: Omnis misericordia, inquit Sapiens, faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum, & quamuis πάρεργον videatur, obiter tamen admonitum velimus lectorem, vt hic meriti vocabulū obseruet, à quo tantoperè abhorrent hæretici. Nos interim D. Petrum audiamus: Satagite, inquit, vt per bona opera certam vestram vocationē faciatis. Et iterum: Seruator, Venite, ait, benedicti patris mei, possidete præparatū vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare, & reliqua quæ enumerantur misericordiæ opera. Videat studiosus lector (ne æquo simus prolixiores)

Psalm. 118.
Eccl. 16.
2. Petri 1.
Matt. 25.

Hebræorum 10. & 13. item Pſalm. 102. & alia, quæ paſsim erunt obuia. Notet interim locum illum Diui Pauli: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius. Audiat vnuſquiſq;, quàm diſertè hic Apoſtolus plurimis particulis operum merita ſignificet atq; extollat. Corona (inquit) eſt repoſita. Solet certantibus dari corona, qui eam propoſitã laboribus ſuis fuerint promeriti, vt alibi idem Apoſtolus dicebat: Nemo coronatur, niſi qui legitimè certauerit. Deinde adiecit, quam reddet: non dixit, quam dabit, vt ſignificantiùs meritum ſuum exprimeret. Tertiò, iudex, ait, & iuſtus. Quod apertius deſiderari teſtimonium ſacræ Scripturæ à quoquam poſsit, quod faciliùs omnibus, quibus nõ eſt cor ſaxeum, perſuadeat, opera hominum a charitate profecta cæleſte premium velut mercedem debitam promereri? Superuacaneum fuerit, hæc eadem veterum Patrũ comprobare ſentẽtijs, quã uis etiam illi ad vnum omnes calculó ſuo Catholicæ Eccelſiæ doctrinam cõfirment. Vide tamen interim D. Auguſtinum epiſtola 105. Itẽ de verbis Domini, Sermõe 59.

2. Tim. 4.

2. Tim. 2.

De

De verbis Apoſtoli, Sermone 2. Libro 50. Homiliarum, hom. 14. Opere, inquit, inſpecto, non poteſt negare mercedē qui opus inſpicit. Item in Euangelium Ioannis tractatu 3. Audi, ait, Paulum iam flagitantem debitum, qui primò indebitam ſuſceperat gratiam. Loquitur enim de loco illo ſuperius ex ſecundæ ad Timoth. 4. citato. Præterea conſulatur D. Hieronymus in Comment. in caput 8. Ezechielis: & libro ſecundo aduerſus Iouinianum: Dicerem, ait, vobis, quia vado & præparabo vobis locum, ſi non manſiones multæ eſſent apud patrem, hoc eſt, ſi non vnuſquiſque manſionem ſibi non ex largitate Dei, ſed ex proprijs operibus præparet: & ideò non eſt meum parare, ſed veſtrum. Simile quiddam videre eſt apud Diuum Auguſtinum Tract. 67. in Ioannem. Diuus etiam Cyprianus ſermone 1. de eleemoſyna dicit, nos dominum & operibus bonis & moribus promereri. Et ſub finem hanc habet notatu dignam ſentētiam. Verùm Dei munus & maximum infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adiutus pre ſe adfert gratiā ſpiritalē, promeretur Chriſtum iudicē, Deum computat debitorem. Et libro de ſimplicitate Prælatorum:

Præceptis Dei & monitis, ait, obtemperãdum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Diuus item Ambrosius in Lucam scribens, Bonos illos appellat mercenarios, qui pro mercede æterna Deo seruiunt. Cur prætereamus antiquissimum illum D. Pauli discipulum Dionysium Areopagitam, qui cap. 8. Libri de diuinis nominibus, ideò fatetur in Deo commendari iustitiam, quia iuxta vniuscuiusque dignitatem singulis tribuit. Diuus Hilarius canone sexto in Matth. De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumq; est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, &c. Sed quid in re ipsa luce clariori pluribus immoramur, cùm nullum sit omninò veterum sanctissimorumque Patrum, qui non hoc ipsum quod astruimus, disertè expresserit, plenosq; suos libros similibus sentẽtijs reliquerit, vt mirari satis nequeant veri Christiani, quid in mentem venerit pseudoapostolis nostris, vt tã perfricta fronte vniuersæ scripturæ totique patrum cœtui sese audeãt oppponere: quasi verò omnes maiores nostri miris, & plus quàm Cymmerijs tenebris fuerint immersi: hi verò (si Dijs placet) soli veritatis lumine illustrati. Scripsit quondam pulcher-

cherrimè Alexander vrbis Alexandrinæ Episcopus ad Alexandrum Constantinopolitanum de Arrianis nonnulla, quæ in nostros hæreticos admodùm apposité torqueri possint: Ex veteribus, ait, nullos dignos esse putant, qui cum eis conferantur, neque eis æquari se patiuntur, quibus nos à puero præceptoribus vsi sumus: sed ne ex omnibus quidem, qui passim sunt collegis & presbyteris quenquam ipsis comparari volunt, solos se sapientes & dogmatum repertores esse iactantes, vt quibus vnis reuelatum sit, quod nemini omnium, qui sub cælo sunt, hominum in mentem venerit. Ita Alexander, cuius verba vt rectè nostris hæreticis congruant, nemo est qui non facilè perspiciat. Sed enim dicet hic nobis Monhemius, quod sub finem dialogi quinti filius respondet patri, hisce quas adduximus Scripturis, nihil prorsus nos effecisse. *Nam cùm scriptura* (ait) *operibus mercedem tribuit, ex mero Dei beneplacito id facit: Deus enim non operum dignitate ad reddendum ipsis premium, sed gratuita sua indulgentia mouetur.* Eleganter Monhemius, suo more inuoluit, & cælum terræ tectis

Vide Nicephorũ Callistũ lib. 8. cap. 7.

qui-

quibusdam euasionibus miscet. Verum cędo, si placet, si quãdo ita loquitur scriptura, Reddet Deus vnicuiq; secundum opera
Psal. 61. sua: & iterum, Id quod in præsenti est mo-
2. Cor. 4. mentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternũ gloriæ pondus, operatur in nobis. Deinde, quoties similibus verbis scriptura vtitur, rogamus, num verè, an falso loquatur: Si verè (vt nemo cordatus inficias ierit) verum erit, opera nostra æternũ gloriæ pondus operari, ac proinde cœlestem illam vitam nobis citra dubitationis aleã promereri. Vt vt tandẽ hoc ipsum faciant, si merces illis & premium datur, facere vtiq; nemo negare poterit. Nec verò quispiam fuit vnquàm inter pios fideles, cui Pelagianũ dogma arriserit, vt operibus suis Christi gratiam exclusam esse voluerit: Absit talis à nobis blasphemia: verum fatentur omnes Dei bonitate id effectum esse, vt operationes illæ momentaneæ leuesque afflictiones immensam gloriæ molem & co-
Rom. 8. piam producant, cùm alioquin per se illæ condignæ non sint ad futurã gloriam, quę reuelabitur in nobis. Si quis hãc rem apertiùs declaratã esse volet à nobis, nõ grauatè id præstabimus, vt totam meritorum rationem

tionem quilibet meliùs intelligat. Nemini itaq; dubium fuit vnquàm, quin opera hominum, si per se considerentur, nihil quicquam ad vitam illam sempiternã promerendã conducere, quantumcunq; tandem aut grauia sint, aut molesta: nihil em̃ quod finitum certumq; est, rem immensam atq; interminatam, qualis est felicitas æterna, tanquàm dignam mercedem cõsequitur, quando præmiũ labori respondere conuenit. Sed Christus Dominus quod operibus hisce deerat, passionis suæ acerbitate compensauit, quę meritũ immensum nobis cõparãs, omnem humanam facultatem multis parazangis exuperat. Hæc nostris actionibus hanc omninò virtutem tribuit, vt quod priùs illis deerat, nunc facilè consequãtur: addita enim gratia sua hoc eis præstitit, vt facultate essent præditæ promerendi vitam æternam: gratia siquidem illa cùm immenso Christi merito innitatur, & ab infinita Spiritus sancti virtute in ipso homine habitantis, eundemque ad agendum impellẽtis proficiscatur, suo etiã modo infinita est, vt mirum nõ sit, opera eius adminiculo adiuta infinitam assequi posse mercedẽ. Est prætereà necesse, vt ingenuus annotet lector, duplicem solere distingui iusti-

iustitiam, alteram quæ in commutatione, alteram quæ in distribuendis rebus versatur. Prior illa hoc prorsus exigit, vt sit æqualitas aliqua in ijs quæ cõmutantur: Posterior verò vult tantum seruari rationem seu in distributionibus proportionem, vt pro dignitate videlicet cuiusque singula distribuamus. Hæc potissimum in Deo locum habet, qui vnicuique secundum opera sua præmia redditurus est, vel ipso Diuo Paulo teste, cui & illud Sapientis suprà allatum pulchrè concinit: Misericordia faciet locum vnicuiq; secundum meritum operum suorum. Vt enim quisque vitam moresque suos in hac lachrymarum valle composuit: ita vberiori gloria in posterum perfruetur: atque vt stella à stella in claritate differt, sic & sanctorum gloria. Sũt nempe plures in cælo mansiones, quas cuique iustissimus DEVS donare solet pro dignitate, quam sibi pijs actionibus comparauit. Commutatio propria in Deo nulla reperiri potest. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Non possumus, tali ratione cum DEO pacisci, vt actionibus nostris tanquàm quæ ex se dignæ sint, mercemur cælũ. Solent qui hac iustitia vtuntur tãtum tradere, quantum accipiunt, quemadmo-

Rom. 2. Eccles. 16. 1. Cor. 15. Ioan. 14. Rom. 11.

admodum ex mercatorum contractibus notum esse potest. Nos autem quid dabimus, quod non à benignissimo Deo liberaliter accepimus? Si operamur iustitiam, in nobis operatur Dei gratia: Si quid sustinemus aduersitatis, Dei gratia ad ferendum roboramur. Quicquid deniq; efficimus quod bonum sit, DEI hoc gratia suffulti facimus, vt ex nobis tanquam ex nobis nihil prorsus habeamus, quod pro beneficijs diuinis rependere valeamus. Sed tamen quamuis hæc ita sese habeãt, ob immensam suam, qua in nos vtitur, liberalitatem Dominus, vt creaturam suam nobiliorem reddat, nosque ad pios actiones vehementiùs accendat, non contentus iustitia hac διανομικῇ (quam distributionem vocare licet) voluit aliquam inire rationem, vt quadam etiam commutatione nobiscum ageret, vitamq; æternam (vt cũ veteribus loquamur) venalem proponeret. Sed qd dignum tãta re inueniatur? Quid in homine est, quod illi possit conferri? Nihil sanè ex se potuit, nisi Dei liberalitas inopiæ nostræ succurrisset. Opera igitur ille nostra acceptauit, & tam immẽsa re digna esse voluit, à qua tamẽ innumeris partibus dignitate superantur. Adiunxit illis gratiã suam, quæ 2. Cor. 3.

quæ ab infinita aliqua re, Christi videlicet passiõe & Spiritu sancto inhabitante promanans, infinitatem quandã operibus nostris tribueret, quò aliqua ex parte tali dono adiuta digne æternam vitam promereretur. (O magnam sanè Dei clementiam: Ecquis summam hanc charitatem dignis valeat celebrare laudibus?) Hac ratione factum est, vt quod per seipsa opera non possent, hoc Dei institutione eiusq; gratiæ adminiculo valerent. Pactum ille nobiscum
Matth. 19. inijt: Si vis (inquiens) ad vitam ingredi, serua mandata. Debitoremq; se nostrum cõstituit, vt non possit citra iustitiæ iacturam rectè viuenti quod pollicitus est recusare. Si fabro vt sedem conficiat quispiam centum aureos spondeat se daturum, atque de tanto pretio inter ipsos conueniat, án non ob pactum conqueri poterit, & de iniuria expostulare cum illo faber, si alter promissis nõ steterit, quamuis sanè res ipsa, si spectetur, nullius propemodùm sit momenti? Quid ni igitur & nos æternam vitam promereri dicamur, quam etsi longè nobiliorem vilibus operibus, rependere tamen se velle pactus est Seruator? An quæso hæc Catholicæ Ecclesiæ explicatio quicquam Christi virtutẽ imminuit, aut labefactat, &
non

non potius commendat, & ad ſidera tollit? Iniuriam ſummam tanto naturę noſtræ reſtauratori irrogari quis non videat, quando in eius opus & dona adeò eſtis iniurij. Nam ſi opus perfectum artificis induſtriam artemq́ue commẽdat, nónne dignitas humana per Christum recuperata potentiam eius arguet, & eandem mirum in modum eleuabit deformitas & operis imperfectio? Nam artificem ex opere cognoſcimus, vel inſignem ex præſtanti, vel imperitum ex rudi. Chriſtus ergo ſi imperfectum opus reliquerit, impotentię imputandum foret. Cedò Monhemi, nónne æternos cruciatus pro malitia quemq; metere fateris? Cur non igitur pari iure regni cœleſtis premia pios mereri concedis? an ad interitum eſt procliuior natura, quàm ad æternam ſalutem Chriſti gratia? An & Chriſtus ad perdendum quam ad ſaluandum eſt propenſior? Fortaſſe dicet, diſsimilẽ eſſe rationem Monhemius, quam & D. Paulus alibi expreſsiſſe videtur: Stipendia, inquiẽs, peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Hic eñ peccata mortẽ illam interminandã quidẽ promereri, gratia verò vitam æternam donari nõ obſcurè dicitur: cuius cauſam vult cum Rom. 6.

cæteris hæreticis istam ad... Monhemius, *quia quæcunq; opera cogitat, meditatur, perficit homo, tam procul absunt a ... a corā Domino, ut peccata censeantur:* ... actiones omnes nostræ sicut pannus mulieris menstruatæ. Hæc vt dissoluamus initio non existimamus pluribus esse ea repetenda, quæ de cordis humani puritate circa dialogum secundum diximus. Hoc tantum breuiter notandū videtur, leuia illa peccata, in quæ quotidie labimur, talia non esse, quæ nos plane sordidos & Deo exosos reddāt. Christus em̄ apud Euangelistam manifeste satis ostēdit, quænā sint illa, quę inquinant hominē. De quibus etiā D. Paulus: Leuia illa nec impios, nec malos nos efficiut, neq; operū nostrorū obsunt efficaciæ. Quamuis em̄ non tāta sit in nobis charitatis affectio ob infirmitatē quotidianam, quātum post emensum istius vitę curriculū assequemur, quando corruptibile hoc induet incorruptionē, & mortale immortalitatem: est tamē etiam suo modo aliqua, vel ipso Apostolo teste, dū ita loquitur: Qui seruat verbū eius, verè in hoc charitas Dei pfecta est. Si igit est in nobis charitas perfecta, cur nō edat illa opera pfecta, si modo perfectiōis oēs iuxta Philosophos opera solēt ꝓdere?

Esai. 64.
Matt. 15.
1. Cor. 6.
1. Cor. 15.
1. Ioan. 2.

Si ope-

Si opera perfecta sunt, nõ erunt Deo ingrata, quin potius vitã illam sempiternã vltrò promereri dicentur. Nam quòd ab Esaia dicitur, notu est: de quibus dicatur, de ijs nimiru operibus, à quibus christi gratia procul aberat, vt D. Hieron. interpretatur. Fatemur & nos in oculis Dei immundas esse impiorum iustitias, vt ad æternam felicitatem quãuis speciosè nihil cõducant. Sed si pijs hominibus gratia Christi succurrat, mundas esse quid quæsumus prohibet? Quod autẽ D. Paulus, stipẽdia quidẽ peccati mortem esse testetur, gratiam vero Dei vitam æternam, non eo consilio, quo vos existimatis, id factũ est, vt meritis nostris neget eam ipsam retribui, qui eadem in Epistola dicebat: Qui reddet vnicuique iuxta opera sua: sed quia pronos animaduertebat homines illos, vt facilè operibus nimium tribuerent, in ijsq; plus æquo extollerẽtur, voluit meritorum omnium talium causam exponens, omnem elationem deprimere. Nõ enim à nobis, aut à semetipsis meritorũ causam opera sortiũtur, tanquã sine gratia vlla æternã vitã adipiscamur, sed quicquid in ijs inest meriti, id gratiæ Dei acceptũ ferre cõuenit. Illa siquidẽ est, quæ tantam mercedẽ tã exiguo labori proposuit: Rom. 6.

Illa operibus in promerendis succurrit: illa fecit, vt quod per se ea non possent, id per ipsam adiutam efficerent: dat etenim virtutem operibus in se alioquin inermibus. Gratia itaque Dei est, vita ęterna, non quia meritis non datur, sed quia vt mereri liceat gratia est. Audi D. August. libro de natura & gratia, postquam eandem hanc sibi difficultatem mouisset, ita respondétem: Ista ergo quęstio nullo modo videtur mihi posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus ęterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter illud quod ait Dns Iesus, Sine me nihil potestis facere. Vide (si placet) & Epistolã eius 105. ad Syxtum Presbyterum, & planè cognosces, verã esse quã attulimus Apostolicorũ verborum enarrationẽ. Verùm Mõhemius eandẽ hanc D. Aug. authoritatẽ in suæ sententię confirmationem produxit, nõ rectè intellectam tamẽ conatur eã ipsa probare, gratis dari vitam æternam, nõ nostris meritis. *Deus enim, ait, nõ operum dignitate ad reddendum ipsis premiũ, sed gratuita sua indulgẽtia mouetur.* Si de operibus in se consideratis loquatur, fatebimur equidem: si verò de ijsdem vt adiunctam habent gratiam, falsum est, vt id quod falsissimum. Et quis est, qui

Cap. 8.

Ioan. 15.

qui nesciat, sua dona coronare, suumque opus remunerari Deum? quis ignorat, omne donum perfectum de cœlo descēdere à patre luminū, nec quicquam ex nobis tanquam ex nobis nos habere? An Pelagianos nos putas Mōhemi, aut Ecclesiā Dei tali heresi infectā, quā ante annos 1200. oim cōsensu explosit? Fatemur opera sua coronare Deū, sed eadē illa opera, quæ eius esse dicis, nostra etiam sunt: eius quidē, vt gratia eius & volūtatem mouet, & vires largitur: nostra verò, vt à volūtate nostra liberrima fiunt. Proinde non immeritò nostris operibus premium Deus conferre dicitur, licet gratiæ eius sint illa munera. Iacob. 1.

. Folio 48. multas adducit scripturas, atq; veterū sentētias, quibus doceri putat, non operibus nos iustificatos esse, sed mera Dei liberalitate, qua fidē nobis impartiens eadē nos iustos reddidit. Sunt aūt istę: Gratis saluati estis per fidē, scientes quòd nō iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem: & id genus alia, tum ex literis sacris, tum ex D. Aug. varijs libellis S. Ambro. & D. Bernardi serm. 1. in annūciatione D. Mariæ, quibus omnibus nō modò id nō efficit, quod conatur, vt summā quoq; inscitiam suā probat, neque vnquā se planè intel-

l[illegible] quod interit inter primā & [illegible] iustificationem: quarum illā nul[illegible] edentibus operibus meremur, quē[illegible] scripturæ adductæ testantur: Posteriorem omnino Dei gratia operibusque comparamus, vt antea docuimus, & Apostolus Ioannes fatetur: Qui facit, inquiens, iustitiā, iustus est, sicut & ille iustus est. Et alibi: Qui iustꝰ est, iustificetur adhuc. De priori iustificatione agūt & scripturæ, & D. Augustinus, atque Ambrosius: Beatus Bernardus vero, quando ita loquitur, Aeternam vitam nullis potes operibus mereri, nisi gratis detur & illa: quid aliud significauit, quàm Apostolus Paulus, gratia Dei vita æterna? Gratis illa datur, quia gratiam nullus meretur, per quā tales edimus actiones, quæ dignæ sint vita æterna. Legas quæ in eodem sermone sequuntur, & quàm recte ista dicantur intelliges. Vide & Arausicanam secundam Synodum: Debetur (inquit) merces bonis operibus, si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit, vt fiant. Vide & Tridentinum Conciliū, à quo iā sępius anathemate percusius, mirū si nōdum hæresum istarum damnatarū te pœniteat: vide vt illic feriuntur, quicunq; operibus meritum vllū inesse inficiantur, sed gratis

planè

plane nulla in [illegible] operum è charitate [illegible] iustificationem omnē, vitamq; æternā [illegible] tiuntur. Eius post pauca anathema adiic[illegible] mus, si prius incommoda, quę nos incurre[illegible] re garris, in tuum ipsius caput reiecerimus. Ea sunt folio 48. posita: *Si operibus nostris ulla tribuamus merita, fiet,* inquit, *ut Christus gratis mortuus esse dicatur: Secundò iram* Dei, *& peccatum exterminant, qui se operibus iustificatione posse promereri putant:* Tertiò *ex conscientia certam & firmam consolationem excludunt: Quartò inuocationem impediunt: Postremò tollunt discrimen legis & Euangelij.* Quis hic non summopere hominis istius & impudentiam, & non ferendam inscitiam detestetur, quem tanta arrogantia Ecclesiam vniuersam in christum sponsum suum iniuriæ atque blasphemiæ damnare non pudet? An Christus gratis mortuus dicendus videtur, si operibus iustitiæ augmentum atque æterna vita tāquàm debita merces redditur, cum eius passione virtutem hāc vt promereri tale aliquid possent, sunt consecuta? Certè gratis mortuus diceretur, si naturæ operibus prima redderetur iustificatio, aut vita beata, nulla ijs cooperāte Christi gratia. Quo in sensu locutus est Apostolus. Sed quando omnium meritorum fontem in Gal. 2.

Christi pasſionem referimus, nõ videmus, quis niſi piſtillo retuſior iniuriam Christo irrogari putabit? Secundò ſi alteram iuſtificationem operibus concedamus, nũ peccatum Dei gratia remiſſum extenuamus? Aut ſi ſatisfactionibus noſtris opus eſſe ducimus, vt plenè animus purgetur, nulla vel culpa, vel pœna obnoxius, an tibi peccati malitiam deprimere, & non potiùs longè quàm vos amplius aggrauare videmur? Vos ſola fide & culpam omnem deleri, & pœnam remitti traditis: Nos cum Eccleſia Dei culpam quidem poſt baptiſmum contractam ſacerdotis abſolutione deleri, temporanea verò ſatisfactione pœnã temporaneam (de quo poſteà fortaſſe latiùs) expiari docemus. Tantùm meritò pondus peccato adijcimus, vt ſi quis poſt baptiſmum lapſus priſtina bona deperdita recuperare deſiderat, non credere tantùm, non verbo ſacerdoti confiteri ſufficere dicamus, niſi cum maximo cordis dolore adſit, & operum ſatisfactio. Atque in baptiſmo vos ſolam fidem requiritis: nos & pœnitentiam præteritorum malorum, & futuræ vitæ meliorem inſtitutionem. Vtri iam tibi videntur Monhemi, magis peccata extenuare, vóſne, qui tanquàm rem leuis

momēti ſola paſsionis Chriſti recordatione deleri aſſeritis: an nos, qui præter hanc cordis etiā cōtritionē exigimus, & propoſitū vitæ ſanioris, atq; (ſi poſt baptiſmū lapſus contingat) oris confeſsionē & ſatisfactionem operis? Quid hic in te aliud quàm vel inſcitiam, vel contradicendi ſtudiū mirabimur? dum rem luce ipſa diurna clariorem tanq abſurdam criminaris. Tertio loco quod adiungis, an in Eccleſiā, & nō potiùs in ſceleratos apoſtatas competit, vt ex cōſcientijs hominū certa & firma conſolatio excludatur. Fatemur nos, Chriſtifideles operari rectè Dei adiuuāte gratia poſſe, cuius mādata grauia nō ſunt, poſſeq; eoſdem vera imbui iuſtitia, reiectis omnium peccatorū ſordib', atq; iuſtitię incrementū (hoc eſt, iuſtificationem ſecūdam) tum auctiorē cęli gloriam, tum deniq; ipſam vitam ęternā promereri. Vos nunq mundos eſſe vultis, ſed in perpetuis ſpurciſsimorū peccatorum ſordibus volutatos, in deſperationem veræ iuſtitiæ cogitis. Pulchráne eſt conſolatio, ſi cogitemus nos ſemper deteſtandos, ſemper æternis cruciatibus dignos, ſemper in ſummis anguſtijs, ne Deus peccata, quæ in nobis reuerà ſunt, tandē aliquādo puniat: Nā de inani veſtra fiducia nō exiſtimam' 1. Ioan. 5.

posse fieri, vt aliquis in vobis, quantumcunque verbis eam in se inesse iactitet, vel vnquàm ad temporis momentum fuerit expertus. Non enim est pax impijs, dicit Dominus. Aristoteles τῶν μετὰ τὰ φύσικα βιβλ. κεφ. γ. multa dicit posse aliquem verbis fateri, quæ aliter corde se habere existimat: οὐκ ἔστι γὰρ (inquit) ἀναγκαῖον ἅ τις λέγει ταῦτα καὶ ὑπολαμβάνειν: Vos non obscurè notâs, qui dū fidutiam verbis prędicatis, gestibus vultuq́; mentimini: intùs pleni estis inquietudine, dubitatione, atq; si quando rem seriò perpenditis, summis angustijs, conscientiæque stimulis exagitamini. Sed quarto loco quod addis, nos inuocationem impedire, tibi potiùs quàm Ecclesiæ Dei conuenit. Vter enim mágis inuocatione habet opus, an is qui de salute securus est, sicut tuos esse persuades, an verò is qui in timore & tremore iuxta Pauli cōsilium salutem suam operatur? Qui de suis apud Deum negotijs incertus est, sed bonis operibus, quæ Dei succurrente gratia æduntur, certā suam facit vocationē? Vide quàm somnolēter hæc quæ modò tāquàm certiorē fidem tuis Quartanis & quintanis proponis euulgasti, quā q́; probè tuo ipsius iuguleris gladio, & in foueam quam fecisti

Esa. 57.
Phil. 2.
2 Pet. 1.

incidas,

incidas, quando omnia hæc incōmoda tu potiùs cū nouis tuis doctoribus, quàm veri Christiani incurristis. Sed an nouā cum veteri (vt ais) lege confundimus? Támne es adhuc rerum, fideiq; Catholicæ nescius, vt tam turpiter ignorantiam tuam prodas nō aliter atque si ne à limine quidem sacras literas salutaueris? Ignoras veterem quidem legem opera præcepisse, verùm longè secùs, atque legem Christi Euangelicam. Hęc gratiā adiungit, quam illa nō subministrabat: illic cæremoniæ multæ nihil ex sese in animo præstiterūt (nisi vnica circumcisio, quam originalem maculam deleuisse alibi D. August. docet) in noua lege sacramenta ex operis ipsius vi, seu, vt accommodata voce loquūtur Scholastici, ex opere operato & peccatum dimittunt, & gratiā multiplicē largiūtur. Vide libellū D. August. de spiritu & litera, q̄ multis capitibus in legū duarum versetur differētijs. Sed agè Monhemi, hoc vnum ex te auemus cognoscere, qui fiat, vt discrimē tollamus legis & Euangelij, si operibus iustificationē tribuimus? An tibi fortassis apparet, in prisca illa lege iustificatū aliquē operibus fuisse, & nō fide Iesu Christi? Quis iste tā grādis tuus lapsus, vt legem præferas Euangelio (hoc enim consequi

necessum

necessum est) si ibi opera iustitiã, hic verò non præstant. Sed audi, si placet, quo pacto mira confusione cælum terræ misceas, & dũ Ecclesiæ Dei incommoda multa impingis, in eadem illa præceps laberis. Tu cum tuis præceptoribus inter veteris & nouæ legis sacramenta nihil doces intercedere, sed solam in vtraq; fide sufficere, opera nulla neque hic, neque illic requiris, vt illi legem nulla ratione implere valebant: ita neque Christianos arbitraris posse, eò quòd in continuis, te doctore, sordibus versentur. Cędò quam hic facis vtriusque legis differentiam, nisi quòd illa Christi morté præcessit, eamq́; varijs cæremonijs adumbrauit: nostra verò fuerit subsecuta. Christiani autem, illiq́; omnes, qui Christi Ecclesiam velut suam matrem venerantur, longè secùs de vtraq; lege loquuntur: illam dicunt opera atque pręcepta imposuisse, eaq́; implendi quod in se erat non aliam esse largitam gratiam, vt agnoscerent homines, quàm nihil per se ipsi ad rectè operandum valerent: Hanc verò etsi opera iniungat: Si vis enim, ait Christus, ad vitam ingredi, serua mãdata, gratiam addere atq; vires, vt quod ex nobis nulla poteramus ratione, ijs adiuti facilè præstaremus. De Sa-

Matth. 19.

cramen-

cramentorum diuersitate dialogo septimo disseremus. Plura sunt id genus alia discrimina, quæ te parum in rebus theologicis versatum esse commonstrant. Nunc autem anathemata, quæ in te proferuntur, audi. Sic enim conuenit, vt hunc dialogum terminemus. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse Dei dona, vt non sint etiam ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Iesu Christi meritum (cuius viuum membrum est) fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia discesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Et denique vt intelliges Monhemi, quàm graue crimen incurreris, quando secùs de iustificatione atque sacra Synodus docens eius explicationem reprehendisti: Audi etiam hanc in te tuosq; preceptores prælatã sententiã: Si quis dixerit, per hãc doctrinã catholicã de iustificatiõe à S. Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi domini nostri derogari, & nõ potiùs veritatẽ fidei nostræ, Dei deniq; ac Iesu Christi gloriã illustrari, anathema sit.

Sessiõe 6. Canone 32. Tridẽtini Concilij.

Eadẽ sess. canone 33.

IN

IN DIALOGVM SEXTVM.

HOc dialogo Monhemius declaraturus orationem Dominicā, ne rudes & simplices peruertendi videatur deesse officio, sanctorum inuocationem præcipuè, deinde ipsorum pro nobis intercessionē non mediocriter, licet friuolis argumētis, impugnat: & ne id temerè aut nullis suffultus rationibus agere videatur, quibusdā potissimùm propositionibus aut argumentis errores suos stabilire conatur: quę quia niminm inuoluit, & sparsim proponit, longū foret, ac molestū lectori, singula persequi ac confutare: proinde breuiter, quę ex ipsius scriptis eliciuntur, propositiones subijciemus, quarum prima habetur folio 56. in hanc sententiam, *Nemo, nec ex angelis aut hominibus neglecto* Deo *inuocandus est, cùm nemo nostram salutē propēsiùs curet*: Altera est, *Quod Christus sit aduocatus & mediator noster, quem qui deserunt*, inquit, *nullum habent ad* Deum *accessum*: Tertia, *Inuocatio est potißima pars cultus* Dei, *qui soli* Deo *debetur*: Quartò argutatur, *Sanctos non inuocandos, cùm hoc scriptura nusquàm doceat*. Nos iam Monhemij imposturas, ac polypi mentem detegamus, argumen-

gumentaque nullius roboris cõuellamus. Interim aduerte, prudens lector, vt singulari quodam decipiendi studio flagret Bohemius. Non e vestigiò in apricum profert supellectilem, aut in arenam descẽdit aperto Marte conflicturus, sed ex insidijs ac pietatis specie incautos adoritur, vt tantò faciliùs in præcipitium deturbet. Nec enim simpliciter ait, sanctos, aut angelos nõ esse inuocandos, sed illos nõ esse inuocandos neglecto Christo. Sed ad rẽ deueniamus. Quis vnquam Catholicorum aut diuersum hactenus docuit, aut fecit? Quis doctorũ, aut vbinam Ecclesia quenquã instruxit, ita sanctorum preces ambiendas esse, vt Christum negligi, aut eius merita silentio inuolui, aut dissimulari velit? Quin potiùs dũ sanctorũ benefacta cõmemorat, aut illis preces offert, & auxilium implorat, cũcta sibi per Christi merita efficacia esse cupit, à quo quicquid est in sanctis laudabile profluxisse, neq; nobis quicquam citra illius præsidiũ posse cõcedi, nõ illibẽter agnoscit. Hinc oẽs orationes, quas ad Deum dirigit Ecclesia, sanctorũ recolẽs, hac coronide cõcludit: Per dñm nostrũ Iesum, &c. Indicãs nihil nos à sanctis expectare aut impetrare, nisi p Christi merita, quẽ inuocam᷒, vt liberalissimũ omniũ bonorũ largi-

largitorem, atq; vnicũ noſtræ redemptionis ac ſalutis mediatorem, in quem velut Dei filium tota noſtræ felicitatis ſpes incumbit, cui omnia accepta ferenda, omnia ab ipſo bona in cælo & in terra expectanda eſſe, prædicare non dubitamus. Sanctos verò inuocamus, veluti ſummos DEI amicos, quorum peccatorum noſtrorum ac indignitatis propriæ cõſcij intercesſionem ambimus, non ambigentes, quin à Deo etiam quiduis quod noſtræ ſaluti commodo eſſe queat, nobis impetrare posſint. Orationẽ dominicam illis fundimus, non tã ipſos tunc alloquentes, q Deũ, ad quem ipſorum manibus eã cupimus deferri, tanquã qui cũ gratiores Deo ſint, facilè quod cupimus impetrabũt. Solent etenim libẽter, qui imperatori ſupplicãt, permaximè charos ſupplicationes porrigere. An hoc eſt Deum negligere, aut Chriſtum deſerere ſic ſanctos interpellare, vt pro nobis apud Deum intercedant, eumque nobis propitiũ ſua intercesſione reddant? An non potiùs hoc eſt ad Deum ipſum accedere, ad quem eò propiùs quis accedit, quò ſe magis coram domino humiliat, indignũ ſe ratus, qui ob enormitatem peccatorum ſuorum ac multitudinem DEVM

interpellet, ac propterea Sanctos illi charissimos, in quibus nullam indignitatem exorandi agnoscit, accedēdos esse cēset. Hinc pulchrè admodum mellifluus ille Doctor D. Bern. ait, Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS. Sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem: opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quàm MARIA. Agnouit hoc Centurio ille à Christo tanto encomio celebratus, qui missis ad eum Iudæis ante conspectum illius comparere erubuit, & præsentiam eius humiliter detrectauit. Quis vituperandum esse putabit, quod Christus vehementer in ipso cōmendauit? Ex his Monhemi colliquescit, quàm adeò non prætereamus aut negligamus Christum, dū Sanctos inuocamus, vt etiam hinc illi non vulgaris accedat gloria. Et ne lector nos hanc veluti recentem doctrinam cum hæreticis cōminisci existimet, addemus clarissimorum virorum testimonia, quibus eam illustremus, atque confirmemus, vt liquidò omnibus cōstare possit, quàm fuerit Sanctorum inuocatio etiā apud priscos Patres ante annos 1200. vulgaris ac vsitata. D. ille Gregorius Nazianzenus (quo se B. Hiero-

Matt. 8.

Luc 7.

nymus præceptore vsum esse gloriatur) in oratione 8. de laudibus D. Basilij, inter cætera sic inquit: Tu nos Basili ex alto respice, totamque vitam nobis in melius permuta. Idem in oratione 14. sub finem, patrem defunctum orat, vt suis precibus populum solui & liberari faciat. Eadem ferè apud eundem reperias oratione 18. de laudibus D. Athanasij, quem ita compellat, O Athanasi, è supernis propitius nos respice, & populum sanctum dirige. Simile inuenias oratione 23. Oratione verò 19. D. Cyprianum glorioso martyrio coronatum his verbis alloquitur, Tu verò ô Cypriane, nos ab alto propitius respice, nostrumq; sermonem ac vitam dirige. Deinde quę sequuntur, Lectori sedulo inuestiganda relinquimus: non enim solũ lectu, sed & digna sunt quæ memoriæ diligenter mandentur. Ne tamen solus id vir tantus sensisse videatur, non importunum fuerit, etiam alios pari sanctimonia ac eruditione conspicuos in medium adducere, inter quos D. Basilius non postremas sortitur partes. Is in pulcherrima illa de quadraginta martyribus historia hãc subiungit exhortationem: Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursus

lætatur,

lętatur, hos oret. Identidē sermone de S. Mamante apertè dicit, ipsum inuocatū populo plurimum opitulatū fuisse, & suadet ab illo petenda esse suffragia, vt nobis Deum reddat propitium. Audi præterea lector aureum illum eloquentiæ torrentē D. Chrysostomum, vt intelligas quàm falso Monhemius tanti viri authoritate fretus, annitatur errorem suum comprobare. Is hom. 1. in priorē ad Thessalonic. Epistolam, ita hortatur ac instruit omnes: Non contemnamus, inquit, Sanctorum preces, sed oremus, vt pro nobis precentur, manumque porrigant. Ecce quàm manifestè docet, non solùm sanctos inuocandos, sed ab illis etiam manus auxiliatrices expectandas esse. quod & superiores authoritates perspicuè indicabant, dū aut vitæ directionem, aut respectum, aut liberationem, aut propitiationem implorandam esse docent. Sed ad D. Chrysostomū redeamus, qui in sua missa Sanctum Ioannem Baptistā, ac D. Nicolaum Episcopū inuocare nō veretur, eorū memoriam celebrans, vt nō solū doctrina, sed & facto Sanctorum inuocationem cōprobet. Omitto illa quę ꝯplixè habet hom. 26. in 2. ad Corinthios Epist. Itē hom. 41. & 42. in Genesin, &

 hom.

hom. vltima in Epistolam ad Romanos. Similiter hom. 66. ad populum Antiochenũ, vbi Principes laudibus prosequitur, qui Sanctorum sepulchra frequentant, & ipsos inuocant. Quemadmodum suprà citatis locis partim Sanctorum inuocationem, partim intercessionem, ac reliquias nobis commendat, sicut & veritatis inuestigator facilè deprehendet. Mirum est, cur Monhemius has sententias Chrysostomi non adduxerit. Sed nobis persuasum habemus, aut Monhemiũ parum in D. Chrysostomo versatum esse, aut (more araneorũ, qui ex floribus venena exugunt) sententias mutilare, aut (vt hereticis mos est) eas quæ solũ in speciẽ suis fauent erroribus inflatis buccis detonare, dum neq; quæ precedunt aut sequũtur, aut quæ alijs locis apud authores reperiuntur, attendunt: aut sponte dissimulant, vt tanto perniciosius virus suũ in animos hominum diffundant. Quod etiam Monhemium omnibus animi neruis conari, nemini dubium est, dum Sanctorum inuocationem tanta audacia oppugnat, nulla tamen aut ratione, aut solida aliqua authoritate munitus. Nos verò etsi quæ attulimus abundè satis veterem Catholicorũ assertionem stabiliant, non tamen grauabi-

inur

mur pluribus eam confirmare. Præteribimus interim Epiphanium libro de 80. hæresibus, tomo 3. lib. 1. Et Suidam in vitam D. Nicolai, qui idem cõteſtantur. Vetuſtiorem adhuc, ſi lubet, audias Origenem illum tot ſcriptis (quamuis multa interciderint) celebrem. Is in fine libri 2. cõmentariorum in Prophetam Iob inquit: O Beate Iob, ora pro nobis miſeris, &c. Idem in Lamento: Incipiam me genibus proſternere & deprecari vniuerſos ſanctos, vt mihi nõ audenti petere propter nimietatem peccati ſuccurrant. Hîc non ſolũ Sanctos inuocat, ſed & modum inuocationis & cauſam, cur inuocandi ſint, perſpicuè edocet. Ad reliquos pergemus, vbi inexpugnabile illud catholicæ fidei propugnaculum D. Auguſtinum aliquot in locis diſſerẽtem audiuerimus, qui libro de Spiritu & anima ca. 59. compellat Sanctos his verbis: Vos qui meruiſtis cõſortes fieri ſupernorum ciuium, orate pro me ad Dominũ, vt educat me de carcere iſto. Idem lib. 7. cap. 1. de baptiſmo cõtra Donatiſtas, & lib. 5. cap. 17. D. Cypriani iam vita defuncti opem implorat. Sed & alijs locis idem teſtatur, nempe libro de cognitione veræ vitæ cap. 9. & 39. Nec diſſimile eſt, quod habet libro de rectitudi-

ne catholicæ conuerſationis, vbi inter alias præclaras parœneſes hortatur etiam Sancto rum patrocinia humiliter expetenda eſſe. Vide apud eundem cap. 24. libro meditationum, O ſancti, inquit, obſecro vos per veſtram charitatem, eſtote de nobis ſolliciti, &c. Sermone etiam 1. de S. Stephano prothomartyre, vult vt nos illius orationibus commendemus. Poſtremò (vt ſemel finiamus) omnium manifeſtiſsimè Sanctorū inuocationē comprobat inſigni illa, ac omnium penè ore celebrata ad D. virginem oratione, quam & 2. ferm. de an nūciatione Domini, & 2. ſerm. de aſſum ptiōe B. Mariæ ſub his verbis habet: Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiāt omnes tuum leuamen, quicunq; celebrant tuam cōmemorationē. Quid dicis ad hęc tot, tamq; celebriū virorum teſtimonia Monhemi? Adhuc audebis Sanctorū ſuggillare inuocationē? Adamantinus planè ſis aut ſaxo ſtupidior, ſi his nō queas emolliri, vt prorſus mutes hereticā, & amplectaris cū tot pręclaris heroibus catholicā ſententiā. Quorū inſtitutionē, quāto quis obſtinaciori animo reijcit, tanto & ſuā certè inſcitiā, & inuictam magis

magis prodit impudentiam, atq; à veritate se alienum prorsus esse demonstrat. Sed D. Ambrosij sententia, quam Monhemius adfert in erroris sui confirmationem si iusta lance trutinetur, non tam Catholicorũ sententiam oppugnat, vt etiam eam cõfirmet. Vult enim declarare alia ratione Christũ, alia ratione Sanctos inuocandos esse: nec horum intercessionem sine illius ope ac merito (vt anteà docuimus) efficacem esse. Hoc ipsum ante multos annorum centenarios docuit in Letanijs Ecclesia, in quibus à Deo misericordiam, à Sanctis autem implorat intercessionem, dum in hũc modum orat, S. Deus miserere nobis. S. Maria, S. Petre, &c. Ora pro nobis. Colligis igitur facilè lector, quàm parum roboris ac momenti habeat Monhemij argumentum: sicut & ea quæ sequuntur folio 57. vbi & hanc interserit Achillicam ratiocinationem, qua Sanctorum inuocationem infringat, *Mortui non orant pro uiuis, ergo mortui non sunt inuocandi.* Antecedens probat, quia viui orant pro viuis, quæ sunt sibi inuicem membra. Posteà tamen folio 58. ait, *angelos pro nobis orare, sed tamen non ob id inuocandos esse quòd Scriptura id non doceat.* Vides prudens lector quantis

obſcuritatibus ſeipſum Monhemius inuol
uat,vt te anguillā cauda putes tenere. Me-
ritò profectò in eum illud Horatianū cō-
petat:Neſcio quo teneam mutantem Pro-
thea nodo. Incidit nonnunquam in Scyl-
lam cupiens uitare Charybdim. Sed hæc
poſteà confutabimus,ad inuocationē San-
ctorum redeamus,quam etiā D. Hierony-
mus ad Euſtochium ſcribens facto compro
bat,dum S.Paulum inuocat. Præterea D.
Ambroſius eam in hunc modum libro de
viduis aſſeuerat:Angeli,inquiens, qui no-
bis ad cuſtodiam dati ſunt,& martyres ob-
ſecrandi ſunt:pluraque alia quæ ſequūtur
pulcherrima.Omitto ea quæ habet in fine
orationis de fide reſurrectionis. Et in hi-
ſtoria illa,quam de S.Agnete prolixè con-
ſcripſit,lectu digniſsima.Item quæ D.Gre
gorius varijs in locis habet, præcipuè in li-
bris dialogorum. Non poſſumus tamen o-
mittere, quin D. Bernardi piam querimo-
niam in medium adducamus,quæ quia plu
res conuellit hæreſes,digna eſt quæ memo
riæ mandetur.Is hom.66.in Cantica Canti
corum:Irrident,inquit,nos hæretici,quòd
paruulos baptizam⁹,pro mortuis oramus,
ac Sanctorum ſuffragia poſtulamus.Agno-
ſce Mōhemi te hæreſeos cauterio inuri,dū
inuo-

inuocationem ſanctorum cum tuis prçceptoribus proſcindis. Agnoſce etiā ante annos plus minus quadringentos, ſepultā aç olim expugnatam fuiſſe hanc hæreſim, nūc verò rurſum per te, tuiq; ſimiles ad multorum perniciem ab inferis reuocatum eſſe, vna cùm hæreſi illa Vigilātij, qui ſolū viuos pro viuis orare affirmabat, quem D. Hieronymus ita validis telis confodit, atq; expugnat, vt ſuperuacaneum videatur eſſe, & faſtidioſum fore lectori, omnia ſanctiſſimi viri argumenta ad expugnandum Mōhemium in medium adducere, prçſertim cùm non ità apertè Monhemius Sanctorū interceſſionem negare videatur. Hæretici tñ ex ipſius verbis facilè hāc inſtitutionem colligunt. Imprudens etiam lector facilè in hoc ſaxum offenſionis impingere poſſet, ac proindè interceſſiōem qua poterimus breuitate confirmabimus, & Monhemij argumenta facilè diluemus. Propterea ſi neges Monhemi ſanctos pro nobis orare, aut id continget, quia impotentiores ſunt, quàm qui poſſint: aut crudeliores, quàm qui velint: aut quod res ſit ipſis indigna, vt orent. Elige quod velis, nihil eorum eſt, quin abſurdiſſimum ſit ac pijs Chriſtianorū omnino auribus indignum. Quis enim imprimis

obſcuritatibus ſcipſum Monhemius inuoluat, vt te anguillã cauda putes tenere. Meritò profectò in eum illud Horatianũ cõpetat: Neſcio quo teneam mutantem Prothea nodo. Incidit nonnunquam in Scyllam cupiens uitare Charybdim. Sed hæc poſteà confutabimus, ad inuocationẽ Sanctorum redeamus, quam etiã D. Hieronymus ad Euſtochium ſcribens facto comprobat, dum S. Paulum inuocat. Prætereà D. Ambroſius eam in hunc modum libro de viduis aſſeuerat: Angeli, inquiens, qui nobis ad cuſtodiam dati ſunt, & martyres obſecrandi ſunt: pluraque alia quæ ſequũtur pulcherrima. Omitto ea quæ habet in fine orationis de fide reſurrectionis. Et in hiſtoria illa, quam de S. Agnete prolixè conſcripſit, lectu dignisſima. Item quæ D. Gregorius varijs in locis habet, præcipuè in libris dialogorum. Non poſſumus tamen omittere, quin D. Bernardi piam querimoniam in medium adducamus, quæ quia plures conuellit hæreſes, digna eſt quæ memoriæ mandetur. Is hom. 66. in Cantica Canticorum: Irrident, inquit, nos hæretici, quòd paruulos baptizam⁹, pro mortuis oramus, ac Sanctorum ſuffragia poſtulamus. Agnoſce Mõhemi te hæreſeos cauterio inuri, dũ

inuo-

inuocationem sanctorum cum tuis pręceptoribus proscindis. Agnosce etiã ante annos plus minus quadringentos, sepultã ac olim expugnatam fuisse hanc hæresim, nũc verò rursum per te, tuiq; similes ad multorum perniciem ab inferis reuocatum esse, vna cùm hæresi illa Vigilãtij, qui solũ viuos pro viuis orare affirmabat, quem D. Hieronymus ita validis telis confodit, atq; expugnat, vt superuacaneum videatur esse, & fastidiosum fore lectori, omnia sanctissimi viri argumenta ad expugnandum Mõhemium in medium adducere, pręsertim cùm non ità apertè Monhemius Sanctorũ intercessionem negare videatur. Hæretici tñ ex ipsius verbis facilè hãc institutionem colligunt. Imprudens etiam lector facilè in hoc saxum offensionis impingere posset, ac proindè intercessiõem qua poterimus breuitate confirmabimus, & Monhemij argumenta facilè diluemus. Propterea si neges Monhemi sanctos pro nobis orare, aut id continget, quia impotentiores sunt, quàm qui possint: aut crudeliores, quàm qui velint: aut quod res sit ipsis indigna, vt orent. Elige quod velis, nihil eorum est, quin absurdissimum sit ac pijs Christianorũ omnino auribus indignum. Quis enim imprimis

inficias ire queat, Sanctos si non maioris saltem, paris nunc esse virtutis atque erant dum viuerent? Dum igitur viui tam multa pro alijs nō rogati impetrarūt (vt de Moyse, Petro, Paulo, & alijs innumeris scripturæ testantur) in cōfesso erit omnibus, Sanctos inuocatos longè procliuius & efficacius nunc quæcunque saluti nostræ conferunt posse impetrare. Vt autem neque potentiam, sic neque charitatem illis denegare potes, nisi contra D. Paulum dicas, charitatem per mortem excidere. Si verò, vt verissimū est, perfectior in illis (qui fonti charitatis nunc propinquiores sunt) facta est dilectio, cōsequitur profectò, cumulatiorem etiam illorum pro nobis, quàm dū hic peregrinarentur, esse sollicitudinem: & sicut cū angelis de nostra salute lętantur, ita & de nostra perfidia pari ratione contristari necesse est. Alioquin quomodo Sanctorum statuemus communionem, quam nonus fidei nostræ articulus credenda proponit: æquè enim sunt nostra mēbra (quorum Christus caput est) atq; illi, qui in terris adhuc degunt, vt in D. August. videre poteris in Enchiridio ad Lauren. cap. 56. & quotidie nostrā vehementer exoptant salutē, vel ipso Propheta teste: Educ de custodia

1. Cor. 13.

dia

dia animã meam ad cõfitendũ nomini tuo, me expectãt iusti donec retribuas mihi. Si verò (quod absit) indignum esse iudicas, vt Sancti nobis suppetias suis precibus ferant, sustolles salubrem Christi pro nobis interpellationẽ, ac D. Ioannem, & D. Paulũ mendacij suggillabis, nã vterq; Christi intercessionẽ pro nobis cõstanter affirmat. 1. Ioan 2. Rom 8.
Sed videmur nobis serpentum audire sibilos, nõ tñ silentio dissimulandos. Dicet fortasse Monhemius cũ suis, solam Christi intercessionẽ vniuerso orbi sufficere, ac proinde superuacaneas esse Sanctorũ preces. Hoc inuictum apparebit argumentum, si rudi ac incautæ plebeculæ cũ verborũ lenocinio proponas: si verò docto lectori (q vt annosa vulpes haud facilè laqueo capit) quantũuis speciose proponatur, in risum ora dissoluet, ac quantũ patitur Christiana pietas dicterijs incesset Sophistam. Nam & hoc argumento, etiam viuorũ mutuas preces omnino sustollent hæretici. Ecce Monhemi, in quantos labyrinthos errorũ se deijcit homo, dum neglecta veritate, ac sana maiorũ suorum doctrina, phantasmata speculat, atq; somnia amplectit, eaq; alijs amplectẽda arrogãter proponit. Quàm verissimum est Philosophorum axioma: Vno absurdo

abſurdo conceſſo, multa ſequi neceſſarium eſſe. Sed fortaſſe videbuntur hæretici, catholicos adamantinis vinculis conſtrinxiſſe, vt nulla elabendi ſpes affulgeat. Si nobis obijciant, Sanctos à nobis longè diſsitos eſſe, ac proinde neſcire quid rerum hic in terris agatur, & cùm aures non habeant, noſtrarum etiam precum murmura non ſatis aſſequi poſſe. Sed canitis ſanè triumphum ante victoriam. Nouum Inſtrumentum euoluamus. An nō Chriſti verbū eſt, quòd
Lu. 15. ita gaudiū eſt angelis in cęlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia? Ac poſteà addit: Gaudium erit corā angelis Dei, &c. Vnde, precamur, angelis in cœlo innoteſcit huius vel illius peccatoris pœnitudo? Num ſi angeli gaudeant, reliqui ſancti mœrore afficientur? Et ſi in illorum notitiam perueniunt quæ hîc aguntur, hînc ab hac cognitione excludētur, quaſi extorres & indigni, qui de noſtra ſalute cogitent, aut ſolliciti ſint? Si verò & illi Chriſti charitate ſtimulante ex æquo noſtræ ſalutis deſiderio tenentur, Quis ambigat, quin vt de noſtra fœlicitate lætantur, ita etiam è diuerſo ipſos de noſtra perditione (ſi ſic loqui phas eſt) maximo-

mopere cruciari? Si verò lætitia aut mœrore illos affici contingit, án non & illos virtutum & viciorum nostrorum conscios esse oporteat? Et si virtutum & viciorum studium compertum habent, an ignorabunt gemitus, suspiria, lamēta & preces nostras? Num indignum erit, vt se à nobis inuocari cognoscant? Non existimamus, nemini etiam, qui vel à limine S. literas salutarit, vel extremis labris doctorum scripta delibarit, isthuc persuaderi poterit: cùm longè diuersum Abraham & diuitis epulonis colloquium testetur. Vnde enim Abraham horrendas illas diuitis querimonias audiuit, cùm tamen magnum chaos inter ipsos interiectum fuerit. Sed ex veteri etiā testamento veritatem inuestigemus. Vnde Helizeus Propheta cognouit quid rex Syriæ animo moliretur? Quid prætereà sceleris Giezi perpetrasset, cùm nihilominus neutri præsens esset? Denique Prophetæ omnes, qua potestate futura vaticinati sunt? An non & Sancti virtute Diuina præsentiumq; rerum conscij esse possunt, vt illi futurarum? An Deus minoris sit nunc, quàm esse solet, facultatis? Quàm grande nephas est, ac stulta temeritas, omnipotentiam Dei suo velle metiri ingenio, aut Philosopho- Luc. 16.

rum

rũ argutijs cõcludere, & nolle res fide amplecti, nisi quę sensuum experientiæ obuia esse possunt. An non in essentia diuina (cuius fruitione beati sunt) contemplari dicendi sunt, quę & ipsos scire referat, & magis Dei gloriã propagant? Audiamus, si lubet, magnum illum Gregorium. Quid enim de his quæ sciẽda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Nec enim intenso vocis clamore opus est, vt nostras audiãt preces. Pręclarè D. Aug. lib. de cognitione veræ vitæ, cap. 39. docet, quemadmodum animæ Sanctorum intelligantur audire viuentiũ preces, eisq; patrocinari. Animæ, inquit, nõ vocis clamorem, sed cordis audiunt, & se fideliter inuocantibus subueniunt, &c. Hanc sententiam si cum ijs quæ dicta sunt Monhemius expẽderet, non adeò Sanctorum intercessionem, aut inuocationem impugnaret. Nunc verò adeò impudẽter quę falsa sunt astruit, & quæ non intelligit contumeliosè contra S. Scripturam & doctores veteres oppugnat. Si hoc non est se obstreperum exhibere S. Ecclesiæ, quid ergo? Si hoc nõ est. S literas ex industria euertere, quid ergo? Si hoc non est omnium orthodoxorum patrum sententias & doctrinam aspernari, quid ergo? Sed ha-

Lib 2. mora 3.

hactenus existimamus verbosius ac solidius Sanctorum inuocationem comprobatam esse, quàm vt quisquam de ea ambigere debeat. Et certè Monhemi si te hæc ad gremium Ecclesiæ non pertrahũt, vt veritatem amplecti velis, non videmus quidnam te emollire queat, præsertim cũ & tua, quæ pauca sunt ac imbecilla, & omnium aliorum argumenta omnia deleta conspicias, nisi quod ad allatas ex D. Chrysostomo & Ambrosio sentẽtias nondum responderimus. Ne tamen vel tibi vel vlli alij scrupulus aliquis, aut tergiuersandi relinquatur occasio, Imprimis D. Chrysostomi sententiam ex alijs eiusdem authoris locis facilè interpretabimur, ne nos quippiam comminisci, aut illum tuo errori patrocinari intelligas. Quare & verba eius fideliter & plixè subijciemus. Ait aũt hom. 5. in Matth. Chananææ aliquãdo miseratus est, meretrici donauit salutẽ, sic latroni, nullo patrono, nullo mediatore intercedente. Deinde pergit: Et hæc non eo dicimus, vt supplicandum Sanctis esse negemus, sed ne torpeamus, neue supini ipsi & dormientes alijs tantummodò nostra curandamãdemus. Hæc ille. Sed ne per imprudẽtiam hæc illi excidisse arbitreris, audi quid

dicat

dicat hom.44.in Genesim: Confugiamus (inquit) ad Sanctorum preces, & oremus, vt pro nobis intercedant, sed non illorum precibus tantùm confidamus. An nondum apertè vides Monhemi, vt à te ex D. Chrysostomo sententia citata intelligenda sit? Nempe, vt non ita sanctorum suffragijs nitamur, vt otio vacemus, & ignauia marcescamus, quasi sufficiat solùm Sanctis causam omnem cõmisisse. Ita seipsum vir sanctus interpretatur alijs in locis, quæ te arguũt, aut parum in D. Chrysostomo versatũ, aut intollerabili simulatione præditũ, qui ita vnam sententiam prima statim fronte tuo errori fauentem cum tanta contumelia adducis. Hic mos est hæreticis omnibus peculiaris, nec est quòd tu primùm ab ijs degeneres Monhemi. Conferendæ essent authorum inter se sententiæ, quas nũc obscuriùs, nunc explicatiùs alijs in locis proposuerunt. Nonnunquàm etiam ea quæ præcedunt, & quæ sequũtur, in æquilibrio ponenda essent, vt sententię pondus exactissimè cognosci posset, id quod tu quoque in [illegible]tata D. Ambrosij sentẽtia studiose ne-gl[illegible]se videris. Nam si quis ea quę præcedu[illegible], & quæ sequuntur coniungat cum allata à te sententia, cõperiet apertè antithesim

hui-

hunc nihil aliud velle, quàm summam esse impietatē, diuinos honores creaturis impendere: Isti enim, inquit, non se putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturis, & relicto Domino, seruos adorant, cùm in sanctis suis potiùs sit laudandus Deus. Deinde, quòd nō est Deus instar hominum, qui aliorum ministerio indigeat, vt subditorum res sibi innotescant, cùm eum nihil lateat, Hebr. 4. atque ideò suffragatore non est opus, vt affectus & conatus pateāt illi. Quòd autem ita intelligi velit hanc sententiam, & non excludere, vt tu putas, sanctorum inuocationem, ex eodem constat, sermone 77. & 90. vbi Constantiā filiam Constantini fusis ad S. Agnetem precibus, sospitatē promeruisse testatur: & vt superiùs ostendimus, non solùm Sanctos inuocauit, sed & ab alijs inuocandos esse æditis sententijs, edocuit. Aduertat quisquis hæc leget, quàm perperā Monhemius cum suis Doctorum sentētias conglomeret: idque non solùm hic, sed & alijs multis in locis, quò suos trūcatis authoritatibus confirmet errores. Ac proinde perpetuò suspectas habere oportet ex S. literis, aut Doctoribus hæreticorum citationes. Nō enim verētur S. scripturā, nedum S. Ec-

clesiæ Proceres peruertere, vt populum fallant, atque ei se suspiciendos, doctis vero planè ridēdos exhibeant. Non eñ tam doctorum (quibus dare verba difficile est) venantur fauorem, quàm iuuentutis inconsultæ, aut vulgi applausum, quod & ad cælestium contemplationem & desiderium est magis rude, & ad momētaneas huius vitæ illecebras propēsius. In hoc studio non videtur operam lusisse Monhemius, dum præter alia, quæ à iuuentute metū omnem auertunt, *solum Deum inuocandum esse docet, illum ad miserandum ac exaudiendum promptissimum. Non opus esse, ut Sanctos inuocādo nos multis fatigemus precibus. Vnico Christo contentos esse cōuenit, qui toties ac tam benigne operā suam nobis defert, &c.* Cęterùm iam superiùs à nobis commonstratum est, neminem de Dei clementia dubitare, quin ad miserandum sit propensissimus, & ad præstandum quicquid vult validissimus: nonnunquàm tamen per media dare constituit, quæ per se alioqui concedere posset. Exemplis fiet quod dicimus dilucidius: Legimus de amicis Iob 41. capite, quòd illos exaudire noluerit Deus, nisi per sancti viri interpellationem. Habemus & de Abimelech Gene-

ſeos 20. qui nō niſi Abraham intercedente à plagis cum familia ſua liberatus eſt. Dicitur enim, propheta eſt, & orabit pro te, & viues. Deinde orāte Abraham, ſanauit Deus Abimelech, &c. Cur autē Dominus noluit per ſe domum à plagis vindicari, non quia nō potuit, ſed quia noluit, niſi interpellante Abraham. Sępè enim interceſſores quærit, per quos nobis miſericordiā ſuam præſtare dignatur. Id quod per Prophetam teſtatur Ezechiel 22. Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus pro terra, ne diſsiparem eam, & non inueni. Talem ſe Moyſes teſtatur fuiſſe, Deuteronomij 5. Ego, ait, ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo. Hinc ipſo intercedēte (vt eſt Exodi 32.) placatus eſt Dominus. Quod etiam Regius Pſaltes diſertè comprobat in hæc verba: Et dixit, vt diſperderet eos, ſi nō Moyſes electus eius ſtetiſſet in cōfractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, &c. Sed ne fortè tergiuerſeris de viuis hæc dicta eſſe, quorum preces confiteris alijs ſuffragari poſſe: audi quid de mortuis quoque ſcriptura teſtetur, Eſaiæ 37. Protegam, inquit Dominus, ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruū meum. Pſal. 105.

Expende verba ſpiritus ſancti, Non ſolùm propter me, ſed etiã propter Dauid ſeruum meum protegam ciuitatẽ iſtam. Dauid autem iam diu vitam cum morte commutarat. Non igitur ſolùm nobis Deus per ſe, aut per viuorum, ſed etiam per Sanctorum preces & merita conſtituit multa elargiri. Conſule D. Chryſ. hom. 42. in Geneſim, qui ſic habet: Sæpè quando nõ eſt inuentus in præſenti iuſtus, propter defunctorũ virtutem, viuẽtium miſeretur & curam habet, &c. Sed tertium iam aggrediamur argumẽtum, folio 56. in quo tu aſſeris, inuocationem eſſe potiſsimam partẽ cultus Dei, qui ſoli Deo debetur. Si inuocationem accipis Monhemi, pro adoratione, quam Græci λατρείαν vocant, ſicut contextus tuus docet, & probatio, quam ex Deuteronomij 6. adfers, concedimus, eam ſoli Deo deberi: Si verò per inuocationẽ intelligis implorationem interceſsionis (quemadmodum Catholici eam accipiunt, dum inuocationem ſanctorũ ſtatuunt) à veritate alienum eſt, quod dicis: non enim talis inuocatio eſt potiſsima cultus Dei pars, ſed cultus qui δουλείαν appellatur, quam ſanctis impendimus. Sicut autẽ S. ſcripturæ geminam adorationẽ inſinuat, nempe eam quæ ſoli Deo

impen-

impendenda eſt (de qua Deuter. 6. Pſal. 96. Matth. 4. Ioan. 4.) & aliam quæ creaturis impartitur (ſicut Iacob Eſau adoraſſe dicitur, Geneſeos 31. & Abigail Dauidem primi Regum 26.) Ita & gemina eſt inuocatio: altera, quæ ſoli Deo impenditur, dum illum inuocamus (vt noſtri miſertus, gratiam & gloriã largiatur) agnoſcentes illum eſſe noſtrum creatorem, redemptorem, & noſtræ ſalutis proram ac puppim: Sanctos verò, nõ vt Deum, neq; vt Deos quoſdam Ethnicorum more, ſed tanquàm ſingulares quoſdam Dei amicos ac patronos inuocamus, vt pro nobis apud Deum intercedant, eiusque gratiam ac fauorẽ nobis precibus ac meritis concilient. De quo quia abundè dictum eſt, non eſt hic neceſſe repetere. Hanc differentiam Mõhemius ſilentio prætereundã putauit, vt Catholicis calumniam ſtruat, quaſi cultum ſoli Deo debitum, ſanctis impendant, cùm tamẽ & ex veterum, & recentiorum Doctorũ ſcriptis perſpicuè intelligat, nos nullũ ſanctis diuinum honorẽ decernere, nõ magis quàm D. Paulum illis detuliſſe conſtat, quorum ipſe viuus adhuc preces ambiebat: Nam honorem, quem ille viuis impertiebatur, ab iis orationes efflagitando, nos iam Sanctis

vita defunctis deferimus, inuocando eos. Quid enim aliud est inuocare Sanctos, quàm eorum intercessionem apud Deum expetere? Si autem hoc modo viuos inuocare licet, cur non etiam Sanctos, qui iam conspectu diuinæ maiestatis fruuntur, inuocare licebit? Quorum & securior est felicitas, & charitas flagrantior, & ad impetrandum maior facultas. Sed iam quartum aggrediamur argumentum, quod est folio 58. *Sancti non sunt inuocandi, cùm scriptura nusquàm doceat sanctorum inuocationem, seu implorare ab ipsis auxiliũ.* Quorsum hoc, ingenue lector, tẽdit argumentũ? nisi vt nihil planè sit recipiendum aut credendũ, nisi quod S. scriptúra aperte docet. Non igitur celebranda erit dies Dominica, quam scriptura non docet: Non credendum erit, symbolum esse Apostolorum, quia scriptura nusquàm hoc docet ab Apostolis compositum esse. Dubium erit, num hoc sit Euangelium D. Matthæi, aut hæ sint Diui Pauli, aut Diui Petri Epistolę, quia hoc scriptura nusquàm docet. Cùm igitur hæc hæresis inter alias pestilentissima sit, operępretium, imò necessarium fore putamus, eam solidissimis S. scripturæ, atq; S. Ecclesię Procerum conuellere testimonijs, ac Apostolicas, maiorumque

rumque nostrorum traditiones diligenter conferre, quas tanti Diuus Paulus fieri voluisse cõprobatur, vt non minùs eas, quàm Epistolas suas faciedas esse censuerit. Hinc acris illa 2. ad Thessal. 2. capite admonitio: State, inquit, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam. Monhemius diceret, State & tenete solùm, quæ per Epistolam didicistis. Diuus Paulus etiam traditiones seruandas vult. Cuínam maior adhibenda erit fides, Paulóne doctori Gentium, an Monhemio παιδοτρίβῃ Audiamus verba Diui Chrysostomi in hunc locum: Constat, inquit, quòd non omnia literis tradiderunt Apostoli, quæ tamen eadem fide sunt digna, vt etiam Theoph. in 1. ad Corinthios primo contestatur. Pluribus hanc rem illustrabimus ex eodem Apostolo 2. Thessalon. tertio: Subducatis, inquit, vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Identidem ad Philip. 4. Hæc (inquit) cogitate, quæ & didicistis, & audistis & vidistis in me. Plurima etiã tradidisse Apostolũ vocis ministerio, quæ nõ sunt scriptis commissa, patet ex primo Cor. 11. Cætera, inquit, cùm venero disponam.

Loquitur autem de Venerabili Sacramento. An falso hæc promisit Apostolus? Quęnam igitur sunt, quæ se spopondit dispositurum, si non illa, quæ adhuc circa venerabilis Sacramenti administrationem iā pridem seruat S. Ecclesia? Aut ergo alia quędā docuit, quę non scripsit, aut nobis palpum obtrudit, aut quod verius est, Monhemij manca est, & collabascit assertio. Eodem capite de velatione mulierum, non scripturas, sed consuetudinis supercilium adducit. Similiter 1. Corinth. 14. & 2. Thessal. 2 docet eorum quæ audierunt, rationem habendam. Item Act. 15. & 16. Præcipit custodire præcepta Apostolorum & seniorū. An non tibi videtur Monhemi, si conscientiam tuam, & S. scripturam consulas, plura docuisse & fecisse Christum, & Apostolos similiter, quàm chartis commēdata habemus? Vt nobis tacentibus tonat filius tonitrui Ioannes Euangelista 20. cap. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Et cap. 21. Sunt & alia, quæ fecit Iesus &c. Quoties verò apud eundem Christus pollicetur Apostolis Spiritum sanctū, qui docturus sit eos omnia, quæ Christo adhuc superstite, aut capere non poterant,
aut

aut ſcire non expediebat? Multa igitur fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta: multa etiam procul dubio docuit, quæ Euágeliſtæ ſcripto cóplexi nó ſunt. Quale eſt & illud Act. 20. Beatius eſt magis dare quàm accipere. Sed hactenus ex literis ſacris Monhemij paradoxum confutauimus. Nunc idem vetuſtiſsimorum Patrum authoritate præſtare conabimur: inter quos primus occurrit Dionyſius Areopagita, D. Pauli diſcipulus, is libro primo Eccleſiaſticæ hierarchiæ ait, Apoſtolos partim ſcriptis, partim inſtitutionibus tradidiſſe leges. Origines verò in principio περὶ ἀρχῶν: Sola (inquit) veritas illa credenda eſt, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſſentit. Idem tractatu 29. in Matt. docet non eſſe à Patrum traditione diſcedendum. Rurſum homil. 5. in librũ Numerorum: In Eccleſiaſticis, inquit, obſeruationibus ſunt nonnulla, quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamẽ ratio eorum omnibus patet. Vetuſtiores adhuc audiamus, inter quos eſt Irenæus D. Polycarpi diſcipulus. Hic (vt teſtis eſt Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 5. cap. 20.) ad Florinum ſcribens, de ſeipſo teſtatur, quòd D. Polycarpum S. Ioannis diſcipulũ audiuerit diſſerentem, quemadmodum cũ

D.Ioanne disceptarit, à quo multa audierat de Christo, quę nõ in chartis, sed in corde scripserat. Idē li.3.cap.3. & 4.cõtra hęreses. Quid si (inqt) Apostoli nobis non reliquissent scripturas, nónne sequi oportebat ordinẽ traditionis? Audi adhuc antiquiorem D.Ignatium, qui (teste Eusebio Ecclesiasticæ historiæ libr. 3. cap. 36. & cap. vltimo) monebat populum, vt diligentiùs & tenaciùs Apostolorum traditionibus inhærerent. Nec mirum: Nam etsi D. Paulus, quẽ sollicitudo omnium Ecclesiarum premebat, tam multa ac præclara scripserit: quis tamen dubitet, ex suprà citatis locis quin plura adhuc docuerit ac disposuerit. De D. Petro Apostolorum vertice quid dicendũ putabimus? qui longè pauciora scripta posteritati reliquit. Nihílne præter illa intra tantùm temporis interuallum populum edocuit? Quàm pauca reliquerunt S. Apostoli, Iacobus & Iudas. Nihil etiam, quod agnoscimus scripserunt reliqui septem Apostoli. An dormitasse videbuntur, & nõ potius viua voce continenter Christianissimum docuisse, & ritus, ac cæremonias, cæteraq;, quibus ille conseruari & augeri posset, tradidisse? Quis ambigere vlla ratione potest, nisi qui malit pertinaciter suo cere-

bro

bro, q̄ vetustissimis ac nobilissimis scriptoribus fidem adhibere? quos iam partim audisti, partim adducturi sumus, ne vllus relinquatur tergiuersandi loc⁹. Adstipulatur imprimis iam dictis Tertullianus, qui vixit anno 160. Is libro de corona militis statim in initio pulcherrima habet huc referenda: Et libro de velandis virginibus, itē libro primo aduersus Marcionem: deniq; libro de præscriptionibus hæreticorum, ait Apostolos non solùm per epistolas, sed etiam viua voce plurima docuisse, multos ritus in hæc vsq; tēpora vsurpatos recensens, quos breuitatis amor recensere nō patitur. nec hi soli viri alioquin grauissimi, hoc docuerunt, sed & D. ille Basilius li. de Spiritu sancto, ca. septimo, nono, decimo, & præsertim 27. Dogmata, inquit, quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex scripta doctrina habemus, partim ex Apostolorū traditione ad nos delata in mysterio recepimus, quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo hijs contradicet, qui vel modicam tantùm Ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Addit, Si instituta consuetudinesque non scriptas tanq̄ in eis vis magna non insit, semel repudiare aggrediemur, clàm ac pedetentim ratas ipsas

Euan-

Euangelij sententias improbabimus, aut potiùs ad inane nomen prædicationem eius cõtrahemus. Et cap. vicesimonono: Apostolicum existimo, ait, in ijs etiam traditionibus, quę scriptę non sunt, permanere. Quid his præclarius ac solidius? quibus pari iure censet Apostolicas traditiones cum ipsorum scriptis in pretio habendas esse. Nec immeritò, cum æquè illę atq; hęc à spiritu sancto profecta sint? nec minùs quàm si à Christo tradita essent obseruãda? Hinc gloriosus ille martyr D. Cyprianus, sermõe de ablutione pedum: Neq; minus ratũ est, inquit, quod Apostoli Spiritu sancto dictãte tradiderũt, quàm quæ ipse tradidit Christus. Hæc ne igitur repudianda putabis, quæ nobis suggestore Spiritu sancto communicata sunt, nõ solùm scripto, sed & viua voce? quæ fidem nostram vsque adeò commendant, vt D. Athanasius in oratione ad Adelphum dicat, Nostra fides recta est & doctrina Apostolica, & ex traditione Apostolica, & patrũ traditione. Iterũ in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ cõgregatis: Certè (inquit) Apostolus laudat Corinthios, quòd traditiones, quas tradidit illis, tenuerint. Non metuũt illud quod in Prouerbijs scriptũ est, Mala soboles patrẽ execratur.

2. Thes. 2.

cratur. Qualis videbitur ſobolis eſſe Mōhemius, qui matrem ſuam S. Eccleſiam (cuius ope præter alia multa Chriſtianiſmum cōſecutus eſt) viperarum more proſcindit, lacerat, ac peſſundare ſatagit, quam oēs verè Chriſtiani veluti ſapientiæ doctricem, atq; ab omni ſuperſtitione alienā, ſemper (vt æquum eſt) ſuſpexerūt, venerati ſunt, ac vnicè coluerūt, nec ab inſtitutione eius vel ad latū vnguē digreſsi ſunt, tantū abeſt, vt eā cum Ariſtarchis tam ignominioſe violare contendant. Quos grauiſsimus ille antiſtes D. Ambroſ. lib. 3. de fide, cap. 7. grauiter admonet ac perſtringit: Seruemus, ait, præcepta maiorū, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus. Omittimus Epiphanium libro 2. tomo 1. & iterū cōtra Apoſtolicos hæreticos, & libro 3. tom. 1. contra Aerium hæreticum. Præterimus Clementē Alexandrinum libro 5. & 6. Stromatum. Nihil dicimus de Damaſceno libro 4. de fide orthodoxa, cap. 13. Sed ad D. Auguſtinum properamus, qui in aurea illa 118. ad Ianuarium epiſtola inter reliqua docet, traditiones Patrū pro lege ſeruandas eſſe. Deinde ad Caſulanum: Diſputare de traditionibus Apoſtolicis cur ita ſit, ait inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ. His cōſonant quæ habet

epiſtola

epistola 164. Item lib. primo contra Nestorium cap. 31. 32. ac 33. Imò adhuc apertiùs libro 4. contra Donatistas, cap. 24. sub his verbis, quod vniuersa tenet Ecclesia, nec cōcilijs institutū, sed semper retentū est, nō nisi Apostolica authoritate traditū creditur. Ab hac sententia adeò non abhorret Monhemius, vt non dubitauerit eam folio 94. in confirmationem baptismi paruulorum contra Anabaptistas citare: sicut & Melanchthonem in suis locis communibus fecisse cōstat. Si vos tanti facitis totius Ecclesiæ consuetudinem cū D. Augustino in paruulorum baptismo confirmādo, cur non parem habebit in alijs rebus authoritatem, præsertim in ijs, quæ tot Doctorum sententijs & Concilijs confirmata sunt, inter quas & ipsa sanctorum est inuocatio, Cap. 7. quam sexta Synodus Constantinopolitana his verbis docuit, ac cōprobauit: quisq; fidelis solo Deo creatore suo adorato inuocet sanctos, vt pro se intercedere apud Maiestatem diuinam dignētur: Vt interim taceamus de alijs Concilijs, quæ lætanias, in quibus sancti inuocantur, salubriter instituerunt. quanta est lector illorum cæcitas, ne dicā peruicacia, vt dum Anabaptistarū insaniam, diuturna in Ecclesia contundāt

consue-

consuetudine, non aduertant se suo telo confodere. Nos non solùm consuetudinem, & tot procerum Ecclesiæ sententias pro Sanctorum inuocatione, sed etiam Cõciliorum authoritatem attulimus: quæ quanti fecerit diuus ille Augustinus, liquet ex libr. 1. cap. 1. ad inquisitiones Ianuarij: Illa (inquit) quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs cõcilijs (quorum in Ecclesia saluberrima est authoritas) commendata atq; statuta retineri. Hac sententia adeò oblectatus est B. August. vt eã repetere epistola 86. & 108. non erubuerit. quid superest igit, nisi vt quilibet cognoscat, q ridiculũ sit, ac scholis etiã triuialibus explodendũ Monhemij argumentũ: Scriptura nusquàm inuocãdos sanctos esse docet, ergo nõ sunt inuocãdi. Huius argumẽti vim tã ex Cõcilijs q ex tot vetustissimis clarissimisq; Ecclesiæ doctorib⁹, eneruauimus, & finẽ faciemus, si primũ D. Hieron. calculũ his addiderim⁹. Is ad Luciniũ inqt, Præcepta maiorũ leges arbitrer. Et ad Marcellã ait, plura Apostolos docuisse q scripsisse. Rursum contra Luciferanos ita detonat: Multa quæ per traditionem obseruantur
in

in Ecclesijs, authoritatem sibi scriptæ legis vsurparunt. Quid igitur Monhemi, D. Hieronymus cum alijs doctoribus docet aliud, quàm ea quæ longa cõsuetudine per traditionem (quale est sanctorũ inuocatio) in Ecclesijs obseruata sunt, similiter cũ ijs quæ scripta sunt sine tergiuersatiõe amplectẽda esse? Sed iã modus esto, ne metas breuitatis trãsileamus. Fatemur quidẽ ingenuè lector, nos hãc materiam copiosiùs prosecutos esse, quàm fortasse velis: nõ quòd ꝓlixitate oblectemur, sed vt planè ostenderemus, quàm inualidum sit hæreticorũ argumentũ (quo tam miserè vulgo imponunt) hoc nõ reperitur in S. literis expressum, ergo non est credendũ. Infelices certè sunt, quicunq; tandẽ sint, qui se huiusmodi næniјs sinũt abduci à fide Ecclesię, quæ nec errare nec expugnari potest. Nã & Christus regit eã vsq; ad seculi consumationẽ: Nec portæ inferi aduersus eã pręualere poterũt. Penes quam est quędã etiam in S. literis expressa (vt de pręcepto Apostolorũ circa suffocatũ & sanguinẽ constat Act. 15. & de seruãdo Sabbato Sacris literis mãdato) cõmutandi authoritas nõnulla etiã pro ratiõe tẽporis, loci & ꝑsonæ instituẽdi par facultas. Penes quã solã est S. scripturas interpretan-

Matth. 28.
Matth. 16.

di & docendi inuiolabilis poteſtas, vt ſine ambiguitate doceat, quid in ijs aptè, quid in myſterio cõtineatur, vel quid ex ijs elicitum (qualis eſt inter cætera ſanctorũ inuocatio) omninò credi debeat. Ac proinde nec minor illi quàm expreſſo Dei verbo vindicanda eſt autoritas. Sed ad ſeptimũ progrediamur dialogum.

IN DIALOGVM SEPTIMVM DE SACRAMENTIS IN GENERE.

IN hac de Sacramẽtis tractatiõe, hocq; ſeptimo dialogo, prima ſtatim frõte deprehendi nõ poteſt, quẽ ſecutus ſit Mõhemius, magiſtrũ Philippũ ne, an Caluinũ: Hic non exiſtimat ſigno exteriori promiſsionẽ eſſe coniunctã, quaſi vel tũc gratia conferatur, vel remittatur peccatũ, dũ Sacramentũ adhibetur, ſed quòd ſit mera ſignificatio diuinæ voluntatis atq; charitatis eius quæ pceſſit. Ille verò cõtrà arbitratus eſt remitti peccatum, quãdo ſignũ iſtud ſuſcipit: ita tamẽ, vt nõ per ipſum ſignũ ſeu ſacramẽtum, ſed per ſolam fidem, quę tali ſigno excitatur ac fouetur. Siquidem nihil arbitratur baptiſmum operari in animum hoĩs, nihilq; efficere externam hanc corporis ablutionem aliud, quàm vt in homine fidẽ, quæ imbecillis erat excitet, qua credat atq; firmiſsimè

sibi persuadeat, Christũ sibi peccata remittere. Fidei itaq; soli peccatorũ remissionẽ, ac quicquid tãdem in ea efficitur, vult acceptum ferendũ esse. Mõhemius interdũ Caluini verbis vtitur, sensum tamẽ Philippi, quãtum colligere licet, propensius amplectitur. Quare vt hoc atq; nõnulla alia paradoxa, quę hinc consequũtur, magis fiant perspicua, quę sint aliena à veritate, dicere aliqua operępretiũ facturi videmur: profitentur enĩ noui isti variarũ hęresum inuectores Sacramẽta vel duo vel tria (nõ enĩ de numero inter illos cũ alijs cõuenit) promissionẽ habere remissiõis peccatorũ, aut operis alicuius supernaturalis, cuius vt recordamur, fideq; eã appræhendimus, candẽ cõsequimur. Signũ aũt externum nos tãtùm in illius memoriã inducere, fidemq́; excitare. Itaque Baptismus, vt ille vult per seipsum, seu non (vt Theologi loquũtur) ex opere operato gratiam infundit, sed per solam fidem, quam ablutio illa excitat. Ex eo sequitur, tantundẽ valere absolutionẽ, quam insignis aliquis idiota, aut dilira anus impẽdit, quantũ ea, quàm Christi Sacerdos cõfert: quandoquidẽ eadem sunt verba, quæ eodẽ modo fidẽ excitant, à quocunq; tandẽ homine proferantur. Secundò hinc cõsequitur,

infan-

infantibus nihil prodesse Baptismum, nisi verba Sacramenti Latinè vel Græcè prolata intelligere cognoscātur. Tertiò omnia veteris legis Sacramēta, quia hanc fidē excitabant: Item Ioānis Baptismum, nihil minùs quàm nostra Sacramenta in nobis efficere. Quartò, nō minùs Sacerdotem conferre, si iocetur aut ludat, quàm si agat seriò. Quintò, eundē prorsus esse euangelicę doctrinæ atq; Sacramentorū vsum, imò & picturarū: illę ēm etiam nos in memoriā rerum gestarū inducunt. Hæc tam absurda & ridicula (à quorū cōmemoratione piorū aures abhorrent) manifestè oīa cōsequuntur, quemadmodū à multis eruditis est annotatū. Ac proinde licet aptissimę veritati repugnēt, vt facilè doctioribus cōstat, vt tamē rudioribus innotescat veritas, non abs re fuerit, latiùs de hac re differere. Baptismū igitr cū Ecclesia catholica dicim⁹, nō ob solā fidē gratiā impartiri, sed ex aquæ virtute & verbo Dei ablutioni adiūcto: hoc ēm est, quod satis dici cōmodè solet, ex opere operato. Pueris ēm citra omnē dubitationis aleā sacramenta prodesse, nemo sanę mētis dubitare potest. In quibus tamē nulla est fides, nulla cordis motio, nullus peccatorū dolor aut gemitus, nulla etiā passionis Dnīcæ recordatio,

(nisi cũ Luthero & Caluino nugeris & ineptias, paruulos, qui necdum fari norũt, intelligere baptismi mysteria) neq; aliquid huiusmodi ipsi p se faciunt, q vt corpus cũ ploratu ac fletu patiantur ablui. Non dubium igitur, quin in ijs baptismus vt sacramẽtum ratione operis illius plurimum valeat. Et sanè, si in pueris ea sit sacramentorũ natura, cur nõ erit similis omninò in alijs, maximè cũ neq; Christus, nec Ecclesia vnq vel vllã diuersitatis hui' fecerit mentionẽ. Sed agè, experiamur, nũ D. August. eadẽ doceat in celebratissima illa, & ab oibus vsurpata sẽtẽtia: Quæ est, inquit, tãta virtus aquę, vt corpus tangat, & cor abluat? Audísne Mõhemi, vt aqua cor ipsum abluat? Cõsule eundẽ li. 4. cõtra Donatist. ca. 24. vbi asseuerat, sacramentũ per se plurimũ valere. Itẽ lib. 1. de peccatorũ meritis & remissione, ca. 19. & 33. D. Ambro. li. 2. de pœnitentia, cap. 2. apertè fatetur, aquam peccata abolere diuina virtute, cui id alioquin in se erat impossibile. Lege etiam D. chrys. hom. 24. in Euangeliũ Ioannis, & hom. 35. docet ita aquã baptismi sordes animi abluere, quando spiritus gratiam suscipit, quẽadmodũ olim aqua probaticæ piscinæ, quando ab angelo cõcitabatur. Antiquior B. Syluester (vt refert Nicepho-

Ioan. 5.
Lib. 7. cap. 35.

cephorus)Imperatori ita locutus est: Hæc, imperator, aqua diuina virtute per inuocationẽ viuificæ Trinitatis cõcepta, sicuti extra corpus hoĩs abluit, ita etiam animam à sorde & inquinatione omni mundificans, splendidiorẽ radijs solaribus efficit: Ita ille. Nusq̃ hic inuenias, fidem excitatam peccata diluere, sed aquam virtute Spiritus sancti aliquid, imò oĩa prorsus operari. Cæterùm ne hîc nobis Mõhemius scrupulũ obijciat, ex Catholicorũ doctrina illud tandẽ effici, hoĩes impios si baptizẽtur, fructũ atq; vtilitatẽ pcepturos, si sola sit aqua, quæ animũ purget: nõ eñ est quispiã fideliũ tam ignarus, cui nõ sit persuasissimũ, quod D. Augustinus aliquando dicebat, nẽpe omnẽ, qui suæ voluntatis arbiter constitutus est, cùm accedit ad sacramẽta fidelium, nisi eum veteris vitæ pœniteat, nouam inchoare non posse: debet quippe eò præparat⁹ accedere, vnde aliquod cupit reportare emolumentũ. Si enim quispiam deploratæ vitæ, si hæretic⁹, si quantũuis simulatè emendationẽ ac sanctitatẽ mentiens, qs accedat, modò sibi baptismũ administrari velit, sacramentũ quidẽ suscipiet, gratiam verò non nisi post profligatam ac depositã animi impietatẽ. Vide D. August. li. 2. cõtra epistolam Parme-

niani, ca. 16. Itē li. 3. de Baptiſmo cōtra Donatiſt. ca. 14. Itē li. 4. ca. 15. Et cōpluribꝰ alijs in locis aptiſſimè teſtat̄, errorē aliquē in fide vtilitatē quidem baptiſmi excludere, aut remorari potiùs, Sacramentū tamen nō deeſſe, nec illud repeti oportere: Sed ſi ad chriſtum reiecta ſimulatione ſeſe ex toto corde cōuertat, Sacramentū primū receptum tum demū vires ſuas exercere. Hęc ſi ſe ita habeāt Mōhemi, ſi ſigna ipſa exterius adhibita ꝗppiam operent̄, cur nō vulgari explicatione Sacramenti cōtentus nouas quaſdā voces, nouaſq́; ſentētias ex hereticorū ſcriptis depromere maluiſti? Fideles hactenus ita loquuti ſunt, vt D. Auguſt. definitionē hiſce verbis interpretaretur: Sacramentū propriè dicit̄, quod ita ſignū eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, vt ipſius imaginē gerat, & cauſa exiſtat. Vel ſi Hugonē malis, quē ſuperiùs aliquādo ꝓduxiſti, de D. Auguſt. definitione loquēs, eā ſic intelligendā eſſe ait, Sacramētū eſt viſibilis forma inuiſibilis gratiæ in eo collatæ, quā ſcilicet cōfert ipſum Sacramentū: nō em̄ eſt ſolūmodò ſacræ rei ſignū, ſed efficatia, atq; hoc ipſum eſt, quod diſtat inter ſignū & Sacramentū. Nā ad hoc, vt ſit ſignū, nō aliud exigit, ꝗ vt illud ſignificet, cuius perhibetur ſignū eſſe, nō aūt vt quip-

quippiã conferat. Sacramentum verò non solùm significat, sed etiã cõfert illud, cuius est signũ vel significatio. Hactenus Hugo tractatu 4. eruditionis Theologicæ cap. 1. Tu verò ita dicere maluisti: *Sacramentũ est externũ signũ quod sub aspectũ nostrũ uenit, quo uelut dato chirographo Deus suã promißionẽ factã obstringit & à nobis fidei & obedientiæ consensum stipulatur.* Hæc declaratio etiam alia explicatione egeret, nisi eam Melanthon adhibuisset: vis enim, si rectè mentẽ tuam atq; hæc verba intelligimus, Sacramenta meras esse notas & indicia bonitatis Christi, eiusque promissionis, qua oĩbus in se credẽtibus gratiã atq; peccatorũ remissionẽ pollicitus est: hocq; tãtũmodo nobis pstare, vt dũ hęc cernimus adhiberi, in tãti beneficij recordationẽ (qua sola peccata cõdonant) facili' deueniamus, & hoibus testemur, nos è fideliũ & piorũ esse numero. Imprimis in hac explicatione illud verũ esse nõ diffitemur, sacramẽta externa esse signa, quæ sub aspectũ nostrũ cadunt: sed illud nõ facilè admiserimus, chirographa esse, cũ hic nihil planè efficiãt aliud, q vt alterius testent voluntatẽ: sacramẽta aũt reuerà in animũ operent, quẽadmodum satis superq; dictũ est. Lõgè igit rectius dixeris, esse vascula diuinæ gratiæ quibus

quibus Christus passionis suæ merita clementer inclusit. Nā etsi Seruator noster passione sua, quam in ara crucis ignominiose pertulit, locupletissimè DEO patri exoluerit preciū, quod omnium peccatis delēdis sufficeret, pharmacum reliquerit Ecclesiæ omnibus animi morbis curandis accommodatissimum: noluit tamē id promiscuè quibusuis adhiberi, sed certa quædā media cōstituit, per quæ tanta bona, nempe peccatorum remissionē, & gratiarū dona consequi liceret. Hęc Sacramēta dicūtur, quę ꝓ signi exterioris diuersitate, diuersos quoq; sortiūtur effectus: Baptismus animū ab omnibus sordibus abluit: Cōfirmatio (vt cum Clemēte epist. 4. ad Iuliū & Julianū loqui liceat) perfectos facit Christianos, & ad virilē statum eos, qui recēs Baptismo initiati fuerāt, deducit: Eucharistia spiritali cibo animum pascit, ęgritudines arcet, in robore spiritū conseruat, & longè plura in animo, quàm cibus externus in corpore, ꝑclariora facit: Pœnitētia (quæ D. Hiero. teste secūda est post naufragium tabula) reos iudiciario modo absoluit: Vnctio extrema, iuxta ea quæ D. Iacobus Ecclesię tradidit, à dęmonū insultibus (qui sub finem vitæ acriores esse solēt) ægrotos subleuat, atq; leuia peccata,
si quæ-

si quæ adhuc purgãda supersint, delet. Duo reliqua ad totius Ecclesiæ regimẽ multiplicationemq; cõstituta sunt. Ordo enĩ sacer potestatẽ cõfert, Christi corpus & sanguinẽ consecrãdi, de peccatis fidelium decernendi, eosq; si confitẽtium ita fert conditio, absoluẽdi, & omninò principes & gubernatores spirituales cõstituit. Matrimoniũ indissolubile vinculũ nectit, & ita coniungit diuersi sexus homines, vt quod priùs verbis, & animorum consensione firmarunt, Deus ipsemet fecisse dicatur: vnde Christus inquit: Quod Deus cõiunxit, homo nõ separet. Gratiã etiam peculiarẽ confert in eo vitæ genere (quod plurima alioq secũ infert incommoda) vt rectè, sanctè, ac piè Deo inseruiãt. De his qui plura desiderat, consulat ea, quæ à celeberrimo totius orbis Concilio Florentino, in epistola Eugenij 4. decreta sunt. Hæc dona, tanquàm vnguenta, acerbissima Christi passione ac merito comparata, his Sacramentorum vasculis includuntur, quò fit, vt nõ nuda sint symbola, nõ mera signa rerum effectarum, non chirographa, sed veræ efficiẽtes causæ, quib' vt instrumẽtis Deus ad nos iustificãdos vtitur. Sed hæc de virtute Sacramẽtorũ sufficiãt. Sequuntur porrò duo sacra- Matth. 19.

mentorũ effectus fol.70. Alter eſt, vt fidem adiuuent, ꝓmoueant, atq; cõfirment. Poſterior, vt confeſsione noſtrã apud hoĩes teſtẽtur, & noſtri nos admoneãt officij. Nõ ſatis liquet MOHEMI, vnde tandẽ hos effectus elicueris, nec alios lõgè grauiores ꝑter hos repereris. Effectus, quẽ tu ſilẽtio inuoluis, ꝓcipuus eſt, meriti paſsionis Dñicæ nos participes reddere, quemadmodũ in ſingulis deinceps manifeſtius euadet: Cũ neq; ſine baptiſmate in ECCLESIÃ q̃s vnq̃ adſumit, aut ab originali noxa purget, nec ſine pœnitẽtia aut exomologeſi ſacerdoti facta à DEO abſoluitur: neq; aliqua alia ſibi parare poteſt, quæ Sacramenta largiunť, niſi peculiaris DEI beneuolẽtia (cuius maieſtas Sacramẽtis alligata nõ eſt) ei quod deeſt diſpẽſatione quadã opituletur. Verũ enimuerò quæ tu attuliſti effecta Mõhemi, ſi ſanè verba intelligãtur, nõ prorſus reijcimus, ſed nimię impfectionis arguimus. Augẽt fidẽ Sacramenta, imò oĩa alia Spirit' ſancti dona auctiora reddũt, atq; gratiã etiã ſemper dignè ſuſcipiẽtibus cõferent: teſtantur quoq; nos in cęlo fidelių numero aſſcribendos eſſe, niſi ſimulato aĩo ea ſuſcipiamus & gratia ſuſcepta abutamur. NOſtri quoq; officįj nos admonent, vt diſcant q̃ renati ſunt, animũ nec veteribus, nec

nec nouis vitijs rursum cõspurcare. Verùm agè, nónne hæc etiã oratiões efficiũt? nonne alia etiã opera, quæ in sacramẽtorũ albũ nemo retulerit? Accedũt oratiõibus vberiores gratiæ, q̃ simul orãt, nõ simulati tamẽ eiusdẽ esse religiõis cognoscunt (quis id fiat p̃ sacramẽta cõmodius) admonẽt nos denique oratiões, vt offendi nõ debeat summus ille princeps, à quo nostris precib' quippiã efflagitamus. Quocirca si aliud nihil Sacramẽtis cõparatur, grauiter hactẽn' lapsa est Ecclesia, prauis dogmatib⁹ imbuti sunt Patres oẽs, & alios pariter nõ satis prudẽter imbuerũt. Malè docuit Chrys. li. 3 de sacerdotio, dũ ita loqtur, Nostris sacerdotib⁹ nõ corporis leprã, verũ aĩæ sordes nõ dico purgatas p̃bare, sed purgare prorsus cõcessum est. Cõsule D. Cypria. li. 4. epist. 7. Et D. Ambro. li. 1. ca. 2. de pœnitentia. Vide etiã (si placet) nũ plura Sacramẽtis cõcedant Patres isti, q̃ tuus hic Catechis. Monhemi. De Florẽtino illo & Tridentino celeberrimis Cõcilijs nõ est quod multis agamus, quandoquidẽ disertissimis verbis hãc neochristianorũ hæresim aptè cõndẽnant. Ac p̃inde ad alia p̃peramus. 10. 71. distinctiões has ponit: *Sacramentorũ nouæ & ueteris legis quarũ est prima, ueteres cæremonias christũ promissum adumbrasse,*

nõui

noui instrumenti Sacramenta eundē iā exhibitum ueluti præsentē offerunt. Secunda, Illæ nō solū inseruiebant usui spirituali, sed etiam necessitatibus huius uitæ subueniebant: hæc uerò spirituali tantū usui inseruiunt. Tertia, Illic multa cū sanguinis effusione perficiebantur, hæc aūt incruēta oīa sunt.
Extrema duo discrimina quāuis exigua, tollerari poterāt, nisi mediū manifestā cū veterib' oibus, tū Christo ipsi iniuriā erogaret: ex eo eīn liquidissimè cōsequitur, quemadmodū superius annotauim', & veteres illos ritus gratiā attulisse nō secùs, q̄ Sacramenta fideliū & Moysi legē hac nostra fuisse p̄stantiorē: q̄a plura tūc illis Sacramētis efficiebātur: nō eīn solū spirituali vsui, sed corporalibus quoq; necessitatib' inseruiebāt. quid igitur p̄clari nobis Christus morte sua reliq̄t? Quænā est eius habēda aduentui gratia? Profectò si nos veteribus potiores sumus, si Ecclesia nostra sinagoge Iudęorū p̄stat, alię dandæ erunt Sacramentorū distinctiones. Audiat igitur quisq; suū iudiciū toti Ecclesiæ postponendū esse censet, q̄d patres Latini, & Græci in Florētino illo Cōcilio sanctè ac prudēter decreuerint, sicut à maioribus suis fuerāt priùs edocti: Septē (inquiūt) sunt sacramēta, videlicet Baptismus, Cōfirmatio, Eucharistia, Pœnitētia, extrema vnctio,

ctio, Ordo & Matrimoniũ, quæ multũ à Sacramentis differũt antiquę legis: illa eñ nõ causabant gratiã, sed eam solum p passionẽ Christi dandã esse figurabãt: Hæc verò nostra & gratiã cõtinent, & ipsam dignè suscipiẽtibus cõferunt. Hactenus illi. Consimilẽ omninò sentẽtiã in D. August. videre licet, qui circa initiũ cõmentariorũ in Psal. 73. de noui & veteris testamẽti discrimine in hũc modũ loqtur: Præcepta eadẽ, Sacramẽta nõ eadẽ, promissa non eadẽ. Videamus quare præcepta eadem, quia secundum hæc Deo seruire debemus: Sacramenta non eadem, quia alia sunt sacramenta salutẽ dantia, alia saluatorẽ promittentia. Sacramẽta noui testamenti dant salutem: Sacramenta veteris testamenti promiserũt Saluatorẽ. Hæc ille. Quid his verbis apertius, quidve pstantius adferri posset? Quid verò cõmemoremus Apostolũ cap. 19. epist. ad Hebr. in quo disertè admodũ explicuit, sanguinẽ hircorũ & taurorũ, & cinerem vitulæ aspersum sanctificare qdem coinquinatos ad carnis sanctificationẽ: Christi verò sanguinem cuius virtus nobis p sacramenta Ecclesiæ, vt antè ostẽdimus, applicatur, animũ à peccati sordibus expurgare. Demiramur hic impudentissimã hęreticorũ nostrorũ stupiditatem, qui

qui cũ aliud nihil q̃ Dei verbũ inflatis buccis crepẽt ac iactitẽt, nõ aduertãt tamẽ se cũ Apostoli verbis ex diametro pugnare. Hic em̃ docet, nihil in antiq̃s ritibus, q̃ significatione futurorũ bonorũ cõtineri, quę in nouo testamẽto nobis Christo largiẽte, exhibita sunt: q̃ per lauacrũ regeneratiõis & renouatiõis Spiritus sancti saluos nos fecit. Illi contrà non aliter illic signa hęc iustificare atq; in noua lege, procaciter asserũt. Sed breuitatis studiũ plura dicere vetat.

Tit. 3.

Fol. eodẽ fac. 2. de numero Sacramentorum, censet Monhemius tria tantummodò esse propriè, reliqua aũt 4. à posterioribus patrib⁹ adiecta esse, illaq́; initio dialogi II. ritus potiùs esse dicẽda putauit, nisus illud authoritate D. August. cõfirmare li. 3. de doctrina christiana, ca. 9 cui si addidisset enarrationem eiusdem in Psal. 73. cõperisset, q̃d celeberrim⁹ ille Doctor indicatũ esse velit, quoties alibi de paucitate Sacramentorum loquitur, Voluit em̃ nõ obscurè significare Sacramẽta nouæ legis paucissima esse, si cũ veteribus Mosaicæ legis cæremonijs cõferantur, quarũ vix vllus erat exitus: & vt fidẽ verbis nostris faciamus, audias D. August. in enarratione Psalmi paulò antè citati: Mutata (inq̃t) sunt sacramẽta, facta sunt faciliora,

pau-

pauciora, salubriora, fæliciora, &c. An non videantur tibi pauca esse septē, si cum 100. aut pluribꝰ cęremonijs cōferas? quapropter si septē nostra Sacramēta ad immensum veterū rituum cōponas numerū, nō solū pauciora, sed etiā paucissima meritò dixeris. Id D. August. significatū voluit: nā ꝙ duo enumerat, Baptismū & Dominici corporis sanguinisq; celebrationē, vel ipso Mōhemio iudice, nō oīa enumerauit. Pœnitentiam quippe silētio p̄terijt. Verùm exēpli gratia nōnulla posuit, vt cætera quæ similia erāt facilè intelligeremꝰ. Hic sanè D. August. locus à Mōhemio adductꝰ adeò nō patrocinat̄ eius causę, vt etiā vehemēter refragetur. Siquidē dū D. August. in eo versaretur, vt legem nostrā à Sacramentorum paucitate cōmendaret, certè si tria tantùmodò fuissent, vtiq; oīa illa recensuisset, idq; haud dubiè nō sine exaggeratiōe fecisset, in hunc ferè modū: Tā pauca sunt, vt tria tantū inueniant̄. Cęterū quādo vnū (vt Monhemius vel inuitus fateri cogitur, dū tria esse docet) tacitum reliquit, quid causæ esse posset, cur id vnum silentio inuoluerit, cum tamen eadem facilitate cum alijs duobus recenseri potuisset? Proinde lector ingenue ac prudēs hoc fuit Sacri Doctoris consiliū, vt

quia

quia de Sacramētis loquebaẗ (quod nomē interdū est ambiguæ significatiōis) exēplis ꝓpositis, quę nā Sacramēta intelligeret, manifestè significaret, ea videlicet, q̄ statim etiā illo tēpore agnouit S. Ecclesia. Est porrò operępretiū, vt maiorē esse Sacramētorum numerū cōtra Monhemiū demonstremus, quod & ipsa ratio manifestè conuincit. Est em̄ Sacramentum illius sacræ rei signū, quā hoīes naturali facultate præstare nequeūt, quā sol⁹ Deus ꝓ sua inexhausta bonitate ꝓducit ac largit. (quis em̄ vel Baptismate, vel pœnitētia valeat peccata remittere, nisi solus Deus) Hanc propositionē tanq̄ axioma à veteribus omnib⁹ cōcessum ac vsurpatū assumimus, de quo vide D. Chrys. lib. 3. de Sacerdotio. Plura aūt sunt eiusmodi signa, q̄ tria hæc à Mōhemio discipulis suis tradita, q̄ ob adiunctā diuinā ꝓmissionē certissimè (nisi impedimentū quis obijciat) supnaturalē effectū producāt. Nemo igit sanæ mētis plura esse q̄ tria Sacramēta ambigat. Vis Mōhemi, vt nōnihil de assumptiōe disseramus? Agè precamur, Facultas Dominici corporis cōficiendi diuina est, an humana? Idētidem de authoritate remittēdi peccata petendum est. Vtraq; certè facultas ab Episcopi ministerio Sacerdotibus confertur.

Est

Est igitur Ordo quartum Sacramentum statuendum,ac proinde non solū sunt tria, vt tu constanter asseueras. Sed fortasse dices Ordine nullam talem donari potestatem.Cedò igitur,an sola fide comparetur, vt tandem famulā tuam etiam vel quéuis alium laicum hominé approbatione Senatu Sacerdotem efficias, quod nec S. Scripturæ testimonio,nec veterū authoritate, nec denique Ecclesiæ traditione, aut vlla vnquam ratione probare possis. Quisquis tamen cōferet,q̄a externo ac sensibus obuio signo, diuinū munus cōfert, sacramentum. confert. Audi nūc(si placet)q̄d de Ordine veteres senserint. D. August.li. de bono cō iugali,cap.24.appellat ordiné Sacramétum ordinationis, & sermone 19.de Sanctis,Sacerdotes ait,& Leuitæ, per hoc signū crucis ad sacros ordines promouētur. Similiter lib.2. cōtra Epist. Parmeniani,ca.13. de Baptismo & Ordine loqués,Vtrūq;(inq̄t) Sacramentum est,& quadam consecratione homini datur:illud, cùm baptizatur: istud,cùm ordinatur:ideoq; vtrumque non licet in Ecclesia Catholica iterari: causam hanc subnectit,Ne non homini,sed ipsi Sacramento fiat iniuria. Similia inuenias lib. 2.contra Donatistas cap.1. Et longè plura,

quæ studiosus lector in eiusdem operibus reperiat. Hæc autem eò lubentiùs adduximus, quòd Monhemius nunc celeberrimũ antistitem perperam in suorum errorum patronum accersiuerit. Quod verò ex D. Augustino exploratissimũ esse videt lector, id ab omnibus veteribus vno ore vsq; ad hæc exulcerata secula cõprobatũ est, quorum sententias in medium produceremus, nisi ꝓlixitatis metus aliud suaderet. Quẽadmodum autem quartum adiungendum esse Sacramentum probauimus, ita & sine negocio quintum etiam adiungemus, nẽpè Confirmationem, de qua nunc hoc solùm dicamus, Baptismate Christianũ procreari, confirmatione autem in virum euadere, et perfectum Christianum fieri, nec non & septiformem Spiritus sancti gratiã clementer infundi: quæ omnia an non videantur esse supernaturalia Dei dona? Quænam vlla vnquam creaturarum hæc per sese efficere queat? Videas si placet D. Clementem, cuius ad Philippenses 4. celebris à D. Paulo fit mentio. Is de cõfirmatione loquitur epistola 4. hunc in modum, Festinandũ est sine mora renasci Deo, & demum cõsignari ab Episcopo, id est; septiformem gratiam Spiritus sancti percipere, quia incertus

est

est vniuſcuiusq; exitus. Cũ aũt regeneratus fuerit per aquam, & poſtmodum ſeptiformi Spiritus gratia ab Epiſcopo (vt memoratum eſt) confirmatus, qui aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere in perfectos. Hæc ille. Sed fortaſſe Monhemius D. Auguſtinum malit audire libro 2. contra epiſtolam Petiliani cap. 104. cũ de vnguẽto, quod in barbam Aaron Pſal. 132. dicitur deſcendiſſe, loquitur: In hoc (inquit) vnguento Sacramẽtũ Chriſmatis vult interpretari, quod quidem in genere viſibiliũ ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus. Conſule eundem lib. 5. contra Donatiſtas cap. 19. Et tractatu 6. in Epiſtolam D. Ioannis, inuenies non ſolùm, quando linguis olim loquebantur Chriſtiani, datum eſſe Spiritum ſanctum, ſed nunc etiam dari, quando effectus ille nõ ſequitur. De extrema vnctione, quã conferat gratiam, locupletiſſimus teſtis eſt D. Iacobus: Alleuabit eum, inquit, Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei: hunc effectum quis alius præter Deũ omnipotentẽ producere queat? Alleuiare aũt, eſt tentationũ impetũ cõpeſcere, & ſi animę ſaluti expediat, morbũ corporis vel om̃ino depellere, vel ſaltẽ mitigare. Cap 5.

Ita D. Innocentius primus ante annos plus minus mille ducentos hunc locum interpretatum reliquit, vt videre est in Epistola eius ad Decentium Eugubinum cap. 8. vbi inter cætera sic loquitur: Nam pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est Sacramenti: quibus enim reliqua Sacramẽta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi. Si D. Augustini sententiam flagras audire, vide lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 4. Nec prætermittendum est, ait, Iacobi Apostoli præceptũ, infirmatur quis in vobis, &c. Ergo si roges de te & pro te fieri, sicut dixit Iacobus Apostolus, imò per Apostolum suum Dominus, ipsa videlicet olei sacrati delibutio, intelligitur Spiritus sancti typicalis vnctio. Vide etiam eundem lib. de rectitudine Catholicæ conuersationis, & intellectum accommoda, vt discas, num recentes Patres hæc 4. Sacramẽta instituerint, an potius ipse Seruator noster Christus. Ex his iam paulò antè dictis facilè quiuis mediocriter ingeniosus colligit, nos sex Sacramenta abundè satis ac solidè stabiliuisse, quæ & Sacramenti nomine, & effectis à patribus vetustissimis expressa inuenimus: restat nunc de vno, nempe Matrimonio, inuestigandũ, de quo

de quo si placet Monhemius nobis respondeat, num etiam hic sit supernaturalis effectus, qui indubitatò ad vtriusque cõiugis verba procreatur? Si neget, querimus, qui fiat igitur, vt in alijs donationibus hoc vsu veniat, vt communi vtriusq; partis consensu donatio irrita habeatur: hic verò nec si totus orbis moliatur, irritum posit facere vinculum. Certè si tu mihi dono des vestẽ, aut aliud quippiam, & eam tibi reddidero, tua, non mea fuerit. Qui verò mutuò sibi corporum suorum dant potestatem, nec si vir vxori, nec contrà vxor viro quod acceperunt reddant, quicquam omnino effecerint. Est igitur quoddam vinculum supernaturale, quod eleganter Christus expressit his verbis: Quæ Deus coniunxit, homo ne separet. Nec dubium sanè, quin & gratia copiosa Deus coniuges cumulet, dum Sacramento tali copulantur, de quo vt paucis expediamus, quid D. Augustinus olim scripserit, diligenter attende. Is libro de fide & operibus cap. 7. in Ecclesia, ait, vbi nuptiarum non solùm vinculum, verùm etiã Sacramentum ita commendatur, vt non liceat vxori virum suum alteri tradere. Item libro de bono coniugali cap. 24. & 18. vbi post alia multa, quæ huc spectant, ita tandẽ

Matth. 19

loquitur: In nostrarũ nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri. Audísne Monhemi sanctitatem Sacraméti? Quantò satius fuisset, Monhemium intra professionis suæ limites se cohibuisse, ne tantam inscitiam cum pari arrogantia coniunctam toti orbi prodidisset, cum suę salutis ac adolescétum sibi cócreditorum pernicie ac interitu, dum suis Quintanis ac Quartanis, qui necdum Patres intelligunt, etiamsi facultas euoluendi suppeteret, persuadere conatur, quatuor illorum Sacramétorum contemptum, quorum potius ritus quàm sacraméta appellanda esse censet? nos verò abúdè satis declarauimus, in numerũ Sacramentorum recipienda esse. Sed vt finiamus tandem, audi de his rebus Concilij Tridentini firmissima decreta, Canone 5. Si quis dixerit hęc Sacraméta propter solá fidé nutriédá instituta fuisse, anathema sit. Et Can. 6. Si quis dixerit Sacramenta nouę legis nó continere gratiá quá significát, aut gratiá ipsam non ponentibus obicem non cóferre, quasi signa tm̃ externa sint accęptę per fidé gratiæ, vel iustitiæ, & notę quędá Christianę pfectionis, quibus apud hoïes discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Canone 8. Si quis dixerit, ipsa nouæ
legis

legis Sacramenta & ope operato non conferre gratiã, Sed solũ fidẽ diuinę promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. Can. I. Si quis dixerit Sacramẽta nouę legis non fuisse oĩa à Iesu Christo domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septẽ, videlicet Baptismũ, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimoniũ; aut etiã aliquod horũ septẽ, nõ esse verè ac ꝓpriè Sacramẽtũ, anathema sit.

IN DIALOGVM OCTAuum de Baptismo.

POstquã de Sacramẽtis in genere pręcedẽti dialogo satis disputatũ est, nũc ad primũ ordine veniendũ est Sacramentũ, atq; Dialogum octauum, in quo vt in alijs oĩbus zizania sua miscuit Monhemius, vt mirari satis nemo posit, quando ne vnũ quidem dialogum ab errore immunem videat relictũ. Mira hoĩs istius decipiendi libido, qui nihil intactũ, nihil veneno suo liberũ omisit, vbi nõ aliqua pestilentissima dogmata inseruit. Aliquãdo verò tã incõsideratè se habuit, vt dormisse in reb. serijs videri posit. Quid. n. qđ fol. 93. ita de Baptismo loquit: *Aqua symbolũ est illi* (baptismo)

conuenientißimum. Nam ſicut câ ſordes corporis abluuntur, ita per hoc Sacramentum expurgatur animus. Quid inquam iſtud noui eſt? iam tãdem aliquãdo animus Baptiſmo purgatur, vt ab omni peccati macula ſit puriſsimus? Atqui non meminiſti, quòd in præcedentibus contrarium Monhemi docueris, animum perpetuis ſordibus eſſe inuolutũ, & iuſtitiam imputari, non veram eſſe in homine? Siccine tam citò vel ſententiam mutâſti, vel (quod crediderimus procliuiùs) tuijpſius oblitus veritatẽ vel inuitus profiteris? Dices fortaſſe, non in eo ſimilitudinem poni, quòd omnino mundus reddatur animus, deletis prorſus peccatis omnibus, quæ priùs inerant, quemadmodum à ſordibus liberũ redditur corpus. Sed quia vt hîc ſordes non conſpiciuntur, ſic neque ibi ſcelera quantumuis grauia, vtpote quæ Chriſti iuſtitia operiuntur. Atqui Monhemi, ſi id ita ſe habeat, non erit aqua conuenientiſsimum ſpiritualis illius operis ſymbolum, ſed longè fuerit commodius, candida veſte aliquem induere non loto corpore, ſi Baptiſmi effectum exprimere volebamus: vt enim illa tegit corporis maculas non eas abluẽs, ita (quemadmodũ vos quidem hactenus docetis) iniuſtitia manet in

nobis,

nobis, dũ interim externa tegimur iustitia.

Habes prætereà folio 94 facie 2. *præcipuum usum Baptismi eum esse, ut alat in nobis fidem.* Quod sanè si verum est, pręcipuum hunc effectum non assequuntur infantes, vtpote in quibus fides non excitatur aut alitur. Scimus enim, quo in sensu hæc vos, nimis tamẽ inaniter effutitis. Hoc scilicet vultis, non alia ratione Baptismum in hominibus remissionem peccatorum operari, quàm dum fidem in nobis excitat, atque renouat passionis Domini. In pueris igitur nihil efficietur, si præcipuus iste vsus ab ijs fuerit exclusus. An fortè cùm Magistro tuo Luthero, & infantes tu actu credere dices? sanè hoc si fateare, dignus eris qui vel puerorúm lusibus exponi debeas. Vbi quęsumus vnquam istud te legisse recolis, Pręcipuum Baptismi vsum esse, vt fidem alat in nobis? An hoc tibi visus est dicere B. Augustinus, quando subinde Sacramentum fidei Baptismum appellat? Ideò hoc fecit sacer ille Doctor, quia illis fidei virtus infunditur, quę verè meretur appellari theologica virtus tam in adultis, quàm in teneris infantulis, qui licet non actum habeant fidei, habitu tamen eius reuerà ornantur. Christus Dñs apud Ioannẽ Euangelistã luculentiùs

rem istā exposuit, quemadmodū & sępius in Epistolis suis Apostoli. Christus ait, Ioan.3 Oportet vos nasci denuò. Et Apostoli Sacramentū vocāt regeneratiōis,& renouationis:hoc certè significātes, qꝑ p̄cipuus vsus atque effectus sit,vt nouum hominem efficiat,& veluti recenter pariat. Quādo enim nunquam anteà fuerat animus vera vita illustratus,hoc baptismo efficitur, vt vita in eum noua introducatur.Non est quod hic pluribus immoremur,quādo ipse tu(quātum colligere licet)non satis tibi in hoc vsu qué attulisti places.Sed folio 99.Ita loqueris. *Sed genuina uis est, ut regenerationem, condonationem peccatorum,uitamq; æternam secum adferat.* Tanquam de puerulorum Baptismo loquens.Conuincaris veritate, non satis accōmodè te fuisse de præcipuo illo vsu initio locutū.Est folio 94. facie 2. quòd vehementer cōmendetur Monhemius,qui tantum Ecclesiasticæ traditiōi tribuit, sed vbi suę illa causę fauet.Si enim in alijs quoque quid eadē ipsa docet aduertęrevoluisset, non tam proterue Ecclesia relicta ad nouitates se conuertisset hactenus inaudītas.Siquidem traditioni Ecclesię quicunque inhæret,fieri nequit vt in vllam planè vnquam labatur hæresim.

Folio

Folio autem 95. ita loquitur filius: *Quemadmodum eadem est doctrina Ioannis & Apostolorum Christi, ita planè eundem esse Baptismum Ioannis & Apostolorum existimo.* Hic iam plus suo sensui tribuit Möhemius, quàm Ecclesiæ totius iudicio atque traditioni. Vt videat lector ingenuus, tunc Ecclesiæ authoritatem aliquid apud homines istos (Si modo tali vocabulo nominandi sunt, qui nihil humani præ se ferunt) valere, quando ipsis placet, eorumq; fauet causæ, faciliq; negocio posse reijci, si quando ijs displiceat. Nam constans semper in Ecclesia doctrina fuit, Christi Baptismum alium longè à Ioannis Baptismo esse: hunc inferiorem, illum superiorem: hunc præparasse Christo viam, atque (vt Beda dicebat) per modum catechismi se habuisse, neque gratiam in animum infudisse, illum planè hoc fecisse quod significabat, purgasse videlicet animam à peccati sordibus, & nouum fecisse hominem. Atq; illud sanè dicebat, vt qui præcursor erat Domini, simili doctrina, similiq; ritu animos hominū præpararet, atque ad Baptismum Christi suscipiendum aptaret, ne si Baptismo hominis non fuissent priùs assuefacti, Christi doctrinam velut nimis absurdam prima statim

fronte

fronte reiecissent. Apertissimè discrimen i-
stud Ioannes ipse significauit, quando a-
Marc. 1. liàs ita locutus est, Ego baptizaui vos aqua,
ille verò baptizabit vos spiritu Sancto. Et
rursus: Ego quidē baptizo vos in aqua in
Matt. 3. pœnitentia, qui autē post me venturus est,
fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiri-
tu Sancto & igni. Ecce vt hic apertum sit v-
triusq; Baptismatis positum discrimen. Ioā
nem sola exteriori aqua abluisse, Christum
verò Dominū etiam intus corda purgasse,
spirituali quodam suo, nobilioreq; baptis-
mate. Sed Monhemius nihil quicquam pu-
„ tat omnes has sententias sibi obesse, *Quan-*
„ *do* (inquit) *Ioannes non disputat de Baptismi sui*
„ *utilitate & usu, sed tantùm Christi personam cū*
„ *sua confert, fateturq; se nihil habere præter nu-*
„ *dam externi signi administrationem, uim autem*
„ *& efficacitatem totam penes unum Christum*
esse. Pulchra sanè euasio, tanto qualis i-
ste est, Theologo digna. An non te pu-
det Monhemi ineptiæ, ita Sacræ Scriptu-
ræ locum in peruersam tuam hæresim alla
ta vi pertrahere? Expendas sedato animo
contextum verborum, vide sacerrimorum
Patrum expositiones, & tandem temerita-
Marc. 1. tis nimiæ te pœniteat. Ita dicebat Ioannes,
Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptiza-
bit vos

bit vos Spiritu ſancto. Temporũ diuerſitas præteriti & futuri mendacij tuã arguit expoſitionem. Cùm enim dicit, Ille vos baptizabit, ſignificat vtique nondum eius virtutem, de qua loquebatur, ſuo Baptiſmo præſentem eſſe, quemadmodum tu quidẽ exponis, ſed peculiarem aliquando futurũ Baptiſmum, q.d. hactenus ego veſtra corpora ſola aqua ablui. Chriſtus verò Meſsias verus Spiritus ſancti gratia animos quoque veſtros purgatos reddet, ab omniq́ue peccati macula, ſuo Baptiſmate efficiet puriſsimos. Audi Chryſoſtomum his verbis loquentem. Poſtquam, ait, Baptiſmatis ſui profeſſus eſt vilitatem, nec quicquam illud amplius habere monſtrauit, quàm vt eos ad pœnitentiam duceret, non enim dixit, in aqua remiſsionis, ſed pœnitentiæ: tum demũ ponit etiam Chriſti Baptiſma, ineffabili donorum liberalitate cumulatum. Sed Monhemius, vt vehementius imponat incautis, non adduxit ex Marci Euãgelio B. Ioannis verba, verùm ex Euangelio Ioannis, vbi vtrumq; in præſenti tempore exprimitur, Ego Baptizo, ita ille baptizat. Sic enim ſi legamus, non videtur nimis aliena eſſe, quam adduxit, interpretatio. Attamen ſi ſcripturam cum ſcriptura conferre

Hom. in Matt.

ferre licet, hoc est, quod Euāgelista Ioānes dixit, cum ijs quę posuerunt cæteri, facilè colliquescet, quàm sit redicula et puerilis Mōhemij euasio. Si qspiā hic volet Theologorū, quibus de distinctione vtriusq; Baptismatis disserunt adducere sententias, vix charta tot authoritatibus scribendis sufficiat. Ne omnes tamen pretereamus, vide D. Basilium libro de Baptismate cap. 2. B. Ambrosium in psal. 37. Chrysostomū hom. 10. in caput 3. Matt. Baptisma (inquit) Ioannis nō habebat remissionem peccatorum, hoc enim munus illius Baptismatis erat, quod Christus instituit. Et illius abbreuiator Theophylactus in Lucę cap. 3. Item D. Hieronymus dialogo aduersus Luciferianos idem planè testātur, quemadmodū et D. Cyprianus epistola ad Iubaianū, Et D. Aug. pluribus in locis aduersus Donatistas scribens, vt lib. 5 cap. 9. et 10. Et libro 2. contra literas Petiliani cap. 37. Item Enchiri. ad Laurentium cap. 49. Et certè si diuersa nō fuerunt Baptismata illa, qui fit quòd baptizati sunt, qui priùs Ioannis Baptisma susceperāt? Apostoli enim Petrus & Andreas alijq; qui priùs Ioannis sectatores fuerant, an nō ab eodem baptizati fuisse sunt arbitrandi? (Si enim exteri eius tingebātur baptismo, quanto

magis familiares discipuli) Atque eosdem denuò baptizatos, testis est Euodius in ea epistola, quam τὸ φῶς appellauit: Christum Dominum Baptisma suis manibus B. Petro contulisse, qui Andream deinde atque filios Zebedæi, & illi rursus cæteros Apostolos baptizarint. Mentionem huius rei facit Euthymius in cap. 3. Euangelij Ioannis: Scribunt (ait) quidam Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrũ ac virginem matrem baptizauerit, Petrus verò reliquos omnes Apostolos. An credendum est inter 3000, & iterum 5000, quæ statim post admirabilem Spiritus sancti in Apostolos descensum à Petro baptizata sunt, neminem prorsus inuentum fuisse, quem anteà Ioannes tinxerat. Non fit nobis id profectò verisimile. Ergo si idem baptismus non fuerit, rebaptizati sunt. Nemi nem enim in Christianorum consortiũ assumebãt Apostoli, quos non priùs baptismate abluissent, quemadmodũ Apostolorũ acta manifestè declarãt. Deniq; actorũ 19. baptizati sunt, qui à solo Ioanne fuerãt tincti. Cùm enim ab Apostolo rogarentur, In quo ergo baptizati estis? Responderunt, In Ioannis Baptismate. Tum rursus Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ

Vide Niceph. o Ca nit. lib. 2 cap 3.

Mar. 1. tiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Ecce quàm apertè baptizatos docet scriptura, quos priùs baptizarat S. Ioannes. Ex quo sequitur vel Anabaptistam esse Monhemium, vel necessariò distingui christi ab Ioãnis baptismate. Verùm enimuerò euasionem aliam quam à Zvuinglio mutuauit, nobis hic comminiscitur. *Non ubicunq; (inquiens) fit Baptismi mentio, lauationem quæ aqua fit, intelligimus, aliquando enim per trãslationem accipitur pro doctrina, ut hoc loco dicũtur baptizati in Baptismo Ioãnis, quòd eo doctrinæ genere fuerant instituti. Non enim quærit Apostolus à quo, aut quomodo aut quorsum sint baptizati, nec quærit sintne baptizati, sed dicit, εἰς τί in quid baptizati estis, id est, qua doctrina imbuti & initiati estis? &c.* Præclara certè expositio, & quæ ridenda sit magis quàm refutanda. Quis enim vnq̃ ante tuum Zvuingliũ, hoc pacto in peruersum hunc sensum detorsit scripturam? Quis baptismũ aliquando hoc in loco pro doctrina intellexit? Sed O Deus bone, quàm nihil frontis habent, nihil pietatis, nihil reuerentiæ hæretici. Dicito, si libet, duodecim illi à Paulo baptizati sunt, necne sunt? Sunt vtiq; dices, ita enim sub finẽ

Dia-

Dialogi loqueris : *Et deinde rectius edocti ab Apostolo baptizati sunt.* Si igitur hi & probè à D. Iohanne imbuti, & boni viri fuerint (nō enim improbi sese ad Christi religionem facilè recepissent) cui dubium esse poterit, quin ab ipso etiam Iohanne Baptista baptismate abluti fuerint, quandoquidē nō tantam Baptismus ille præparationem exegerit: Cui inquam dubium erit, cum neque milites, neq; publicani, neq; promiscuum vulgus reiectum vnquàm ab eius baptismate fuisse legatur? Vides proinde Monhemi, vt euitare Charybdin conatus, in Scyllā atrociorē incideris? Verū vt hoc ipsum paulò apertiùs commonstremus, est quod videas, quàm tu iam nobis obscurā, quamq; inuolutam scripturam reddideris, quam tamen in præfatione tua clarissimam esse, atque adeò omnibus perspicuam asseuerare non verebaris. Nunquid non aduertis in hac scripturæ sententia, ὁμονύμως voculam baptismi esse acceptam, quando nunc doctrinam, nūnc ablutionem, ipsam interpretaris? Pro doctrina quidem, quādo dicitur, In quo baptizati estis: Et, In baptismate Iohannis. Pro ablutione verò, His auditis baptizati sunt: Et, Iohannes baptizauit baptismo pœnitentiæ. Neque enim enim conuenie-

ueniebat alium in sensum hæc verba à D. Paulo accipi, quàm ab ipsomet Iohanne Baptista accepta sunt. Cùm igitur omnis homonymia summã adferat obscuritatem, quid erat, cur huc scripturam hanc per se alioqui tam apertam detorseris? Neque verò est, quòd vehementius Græcam lectionem vrgeas, εἰς τί, in quid, vt sensus sit, non quo baptismate, sed in quam doctrinam. nulli enim veterum, quibus ea lingua natiua fuit, perinde atque tu vocem istam interpretati sunt, vt neq; tuus Erasmus, qui ita transtulit, Quo baptizati estis? At illi dixerunt, Ioannis baptismate. Sed vt cæteros omittamus, vide qui Diuus Cyprianus hũc locum intellexerit sub finem epistolæ ad Iubaianum, quiq; Oecumenius in hoc 19. caput scripserit: Ostenditur, inquit, parui momenti fuisse baptisma Iohannis: neque enim dixit remissionis fuisse, sed pœnitentiæ: Postmodum baptizatos eos in nomine Domini, dicit sub manibus Pauli spiritum statim accipere. Atque hæc ille. Cæterùm & hoc annotandum videtur, vt si fuerit eadem Iohannis Baptistæ, quæ Apostolorum doctrina, qua ratione factũ fuerit, vt duodecim illi in Iohannis doctrina, vel te ipso teste, rectè instituti, ne si quidem

quidẽ esset Spiritus sanctus cognouerint? in quem tamen Christiani omnes credere omnino debent. Verum causam tanti erroris vestri si quis velit cognoscere, ea sanè ipsa est, quam præcedenti dialogo attigimus: Videlicet, quòd omnem Sacramentorum actionem in solam fidem refertis, quã exterioribus illis signis excitatã, remissionem peccatorum efficere cõtenditis. Hinc est quòd veteris legis ritus cum nostræ Ecclesiæ Sacramentis, quia simili modo spiritalem in nobis effectum producunt, eosdẽ esse dicitis. Verũ si fundamentũ hoc tollas, quemadmodũ dialogo antecedenti sustulimus nos, ilico quicqd in illud exstructũ fuerit, corruet. Sed vt tandẽ huic dialogo finẽ imponam', aures arrige ad sacrosancta Tridentinæ Synodi decreta, & quid illa sanxierit, intellige. Si quis dixerit baptismũ Iohannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, Anathema sit. De Baptismo cap. 1.

IN DIALOGVM NONVM DE CAENA DOMINI.

Dialogo isto nono de Eucharistiæ Sacramẽto disputat Mõhemius ille quidem, verum ita disputat, vt quæ fuerit eius sententia, non satis apertè indicarit: Solet

etenim propositionibus ambiguis occultare mentem, vt & astutè hæresim subministret, & se tamen Catholicum fraudulenter simulet. Posuit enim hanc folio 101. dubiam propositionem: *Vides itaq; panem, & uinum, audis corpus & sanguinem esse Christi:* & paulò pòst: *Tam certum igitur est, nos animo & spiritu per fidem uesci corpore & sanguine Christi, quàm sensu patet, nos panem & uinum edere ac bibere.* Quibus verbis, si panis vinique nomine species tantùm intelligi velit Mōhemius, quas illic remanere Ecclesia & ipsa fatetur, sententiā eius amplectimur. Sin verò panis vinique substantiam in Eucharistia post consecrationis verba relinqui cōtenderit, iam nunc in hæresim vel Vuicleff vel Lutheri incurrit. Hactenus enim Ecclesia docuit, in Eucharistiæ Sacramento, statim vt sacerdos diuina illa sacerrimaque verba protulit, omnem illam priorem substantiam, siue panis, siue vini, in Christi corpus & sanguinem transmutari, ita vt nulla alia illic relinquatur substantia, præter Christi corpus & sanguinem. Accidentia autem quæ sensibus percipiuntur, supernaturali vi sine subiecto cohæreant. Atque hæc est doctrina, quam à maioribus acceptam etiamnum seruat Eccle-

sia,

ſta, quam ſi & ipſe Monhemius ſibi ſectanda ſtatuerit, non eſt quod in ipſum aliquid agamus. Sin verò, quemadmodum vereri videmur, vel Lutheri, vel ſui Caluini deprauatam atque adeò execrandam amplexus ſit ſcientiã, quis non animaduertit, quã impudẽter veteribus omnibus cõtradicit, qui nunc panẽ in Chriſti corpus tranſmutari, nũc tranſſubſtantiari, nũc eius naturam mutari, apertè fatentur. Vide D. Auguſtinũ ſermone 28. de verbis Domini: Cum (inqt) de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Chriſti quod offertur, panis dicatur: vbi verò Chriſti verba deprõpta fuerint, iã non panis dicitur, ſed chriſti corpus appellatur. In hanc ſententiam audi & Euſebium Emiſſenum: Recedat (inquit) infidelitatis ambiguum, quoniam quidẽ qui autor eſt muneris, ipſe eſt etiam teſtis veritatis. Nã inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiã corporis & ſanguinis ſui verbo ſecreta poteſtate cõuertit, ita dicẽs: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ. Hũc in modũ Iohãnes ille Damaſcenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. Neq; (ait) & hoc etiã dictu promptũ eſt, quomodo naturaliter per cõmeſtionem panis, & vinũ & aqua per potionẽ in corpus & ſanguinem come-

Vide Gratianũ de conſecratiõe, diſt. 2. cap. Qua corpus.

dentis & bibentis transmutat, & nō fit aliud corpus, preter id quod prius erat, ipsius. Sic & propositionis panis vinumq; & aqua per inuocationē & aduentū spiritus sancti supnaturaliter transmutat in corpus & sanguine Christi, & nō sunt duo, sed vnū & idem. Vide & D. Cyp. serm. de cæna Domini, vbi hæc eius verba sunt: Panis iste cōmunis in carnē & sanguinē mutatus, procurat vitam & incremētum corporibus. & paulò pòst: Panis iste, quē Dns discipulis suis porrigebat, nō effigie, sed natura mutat⁹, omnipotētia verbi factus est caro. Similiter D. Ambrósius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. quandoque dicit de pane fieri corpus Christi, quandoque (id quod idem est, sed quidem apertius) ex pane fieri Christi corpus: Inter cætera autem hæc verba posuit: Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quę non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutetur. Vide (ne longiores simus) quid hac de re D. Gregorius Nissenus in libro de vita Moysis nobis scriptū reliquerit: Vide ite Theophyl. in matt. caput 26. cuius tamē verba, quia pulcherrima sunt, paucis subijcere nō pigebit. Exponens eni verba hæc, Hoc est corpus meū, non dixit, inquit, hoc

est

est figura, sed hoc est corpus meũ. Ineffabili em̃ operatiõe transformat̃, etiamsi nobis videat̃ panis. Quoniã infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hõis carnẽ, & ideò panis quidẽ apparet, sed caro est. Hoc ipsum habet apud B. MARC. in eadẽ hæc verba, quæ ca. 14. continentur, scribẽs & quidẽ planiùs: Et quomodo (inquit) caro nõ videt̃? o homo propter nostrã infirmitatẽ istud fit: quia em̃ panis quidẽ & vinũ ex his sunt, quibus assueuimus, ea nõ abhorremus: sanguinẽ verò propositũ, & carnẽ vidẽtes nõ ferremus, sed abhorreremus. Idcircò misericors De' nostræ infirmitati cõdescendens, speciẽ quidẽ panis & vini seruat: in virtutẽ aũt carnis & sanguinis transelementat. Audi deniq;, quid in ca. 6. D. Ioan. idem referat: Nõ dixit (inquit) panis, quẽ ego dabo figura est panis, sed caro mea est. Transformat em̃ arcanis verbis panis ille p mysticã benedictionẽ, & accessionẽ itẽ sancti spiritus in carnẽ DOMINI: & reliqua quæ ibi etiã habent̃ pulcherrima. Videsne Monhemi, quanto consensu, quantaque concordia, de hac transmutatione omnis antiquitas vno quasi ore locuta sit? Vis multitudinẽ consentientem? Vis Concilia sacrosancta, imò vis totius Ecclesiæ

consensum, vide illud quo nunquàm habuit Ecclesia celebrius Concilium Lateranense, quod Innocentij 3. tempore celebratum est. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omninò saluatur, in qua idem ipse Sacerdos & sacrificium, IESVS Christus, cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem, potestate diuina. Vide etiam Constantien. Synodum, sessione 8. in damnatione Ioannis Vuicleff. Vide florentinum illud & ipsum amplissimum Concilium, quod ita habet: Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur, ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratę & vini cōsecrati, separatiōe facta, totus est Christus. Plus æquo fortassis in veterū sanctorumq; Patrum sententijs recitandis immorati sumus: sed id quoniam in ocultis hisce mysterijs non tantùm rationes ad veritatem inueniendam vllæ possunt, quantum antiquæ Ecclesiæ traditio, necessariū planè fore videbatur, quanquàm interim non deessent

Cap. 1.

eſſent etiam rationes vel ſolidiſsimæ, quibus hæc res, ſed apud Doctos potiſsimum, probè admodum cõfirmari poſsit: Verùm quoniam ad ſtudioſorum ingenia, quibus Mõhemius ſuum illum Catechiſmum dedicauit, hic libellus accommodandus erat, ſubtiliores rationes cõſultò omiſimus. Verùm enimuerò, ſi dicat hic nobis aliquis, Euchariſtiam ſubinde panẽ appellari, cùm in ſacris literis, tum apud veteres Theologos: Non equidem ibimus inficias, panem Euchariſtiam appellari, verùm non communem illum panem, ſed τὸν ἐπιούσιον & ſuperſubſtantialem. D. Auguſt. etenim ſimile aliquid ſibi obijciẽs, poſteaquàm dixiſſet, poſt conſecrationis verba non panem, ſed corpus appellari: Quare ergo (inquit) in oratiõe Dominica, quæ poſteà ſequitur, ait, panem noſtrum? Reſpondet ſibi ipſi deinde, panem quidẽ dixit, ſed ἐπιούσιον dixit, hoc eſt ſuperſubſtantialem: non iſte panis qui vadit in corpus, ſed ille panis vitę æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Sic quidem D. Auguſtinus, qui pauciſsimis verbis controuerſiam hanc diremit, quando panem nullum communẽ, ſed diuinum illum tantummodò atque cæleſtem dixit remanere: Nam hunc etiam panem ſuperſubſtan-

Serm. 28. de verbis Domini.

ſubſtantialem, Chriſtus aliquando panis nomine appellauit, quemadmodum alibi dixit, Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea eſt. Neque id quidem ſine ratione feciſſe videtur, cū hoc modo Sacramenti iſtius proprietates plenius exprimantur. Vt enim corporeus cibus corpus ipſum fouet, nutrit, auget, corroboratque, ita & corpus Chriſti hoc Sacramento ſuſceptum, animum ipſum iiſdem virtutibus afficit. Adferri poteſt & alia iſtius appellationis ratio, vt ideò panis poſt commutationē vocetur, quoniam antè verus panis fuerit. Sic enim & Exod. 7. Virga Aaron in ſerpētem conuerſa, virga nihilominus dicitur: Deuorauit (inquit ſcriptura) virga Aaron virgas eorum. Atque hæc de iſta controuerſia ſat copioſe dicta ſint. Cui ſi placet hoc Tridentinæ Synodi decreto finis imponatur. Si quis dixerit, in Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini vna cum corpore & ſanguine Domini noſtri IESV Chriſti, negaueritque mirabilem illam & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus

hentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia tranſſubſtantiationem appellat, Anathema ſit.

Folio 102. hanc ponit ſententiam Monhemius, *Hinc etiam excommunicatio, cum ſcilicet aliquis propter uitæ fæditatem ex hac fidelium communicatione excludebatur.* Si in eo ſolo excommunicationem conſiſtere putat, grauis eſt error, non ita ſatis ſcripturis conſentaneus, quæ longè grauiorem pœnam excommunicatione denunciant: Si (inquit Seruator) Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquàm Ethnicus & Publicanus: Ethnicus autem non tantùm à corporis Dominici communione cohibetur, verumetiam omnibus omnino Sacramentis priuatur. Vult igitur Chriſtus excommunicatione non ſecus atq; putridum mẽbrum ipſum excommunicatum à toto Eccleſiæ corpore reſecari, id quod etiam B. Paulus alibi dicebat, Auferte malũ ex vobis ipſis: 1.Cor.5. Ex his igitur ſequitur, omni vita ſpiritali destitutum eſſe eum, quem excommunicauit atq; ex cõſortio ſuo eiecit Eccleſia. Veteres ſanè ſanctiſſimi prudẽtiſſimiq́; viri à taliũ hominũ conſuetudine vſq; adeò ab horrebãt, vt neq; alloquio eos dignarẽtur, neque

neque sub eodem tecto cum illis commorari, aut ad breue tempus hærere consentirent, ne & ipsi tacito quodam consensu eorum operibus viderētur communicare. Sic namque B. Iohannes iubebat, Nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Notum est ex Irenæo, vt idem ille Iohannes, conspecto in balneis Cerintho, non lotus exilierit, metuens ne balneum ad hæretici illius præsentiam concideret: vtq; D. Polycarpus Marcioni occurrenti atq; dicenti, Cognosce nos, responderit, Cognosco te primogenitum Sathanæ. Hæc eò libentius adduximus, vt norint omnes, quàm sint fugiendi, quamq; detestandi quos reiecit, atque à suo corpore seiunxit Ecclesia, maximè verò nouarum hæresum professores, quorum sermo Apostolo teste vt cancer, serpit, qui omnem suam operam atq; vniuersam curam in arte fallendi consumunt. Rogamus obnixè studiosos adolescentes omnes, vt ab eiusmodi hominum peste magis quàm à quauis vipera caueant. Monhemijq; scholam, quamdiu illa quidem à tā deprauato moderatore regitur, summis conatibus declinent. Rogamus prętereà hortamurq; parētes omnes, ne tali pastori (lupum

Epist. 2. li. 3. cap. 3.

pum rectiùs dixeris) ouiculas suas pascendas, aut potiùs dilaniandas committāt: certo enim certius nouimus, imò etiam experientia plus satis didicimus, vix quemque immunem ab hæresi studiosum ex Duisseldorpensi schola euadere. Viderint itaq; parentes, quàm tutum sit eò filios suos instituendos ablegare, vbi hæreticus venenata prauæ doctrinæ semina animis innocentium adolescentum inserit, maximè cũ non desint quàm plurimæ Catholicorum scholæ, in quibus & rectiùs literis atq; honestis moribus ornari, & auitam maiorum suorum religionem seruare liceat.

Folio eodem 102. facie 2. causas cumerans, cur Christus Sacramentum istud instituerit; ita sub finem subiunxit: *Deinde & hæc cæna sit testimonium omnium certißimum & firmißimum uoluntatis suæ extremæ, quo nos certi sumus de peccatorum remißione, iustificatione, æterna cum Deo reconciliatione, spiritus sancti donis, perfecta ac sempiterna redemptione, ac omnibus malis, beata immortalitate* [redacted] *immortali uita ac salute, quæ omnia corpore & sanguine Christi parta sint nobisq; tradita*. & folio 103. *Testatur (inquit) se abluere peccata tua, testatur se efficacem in te fore.*

te fore. Videtur hic significare Monhemius, Eucharistiæ perceptione, certos omnino homines effici de peccatorum suorum remisѕione, alijsque multis, quæ ille nobis hic enumerauit. Verùm cedo Monhemi, qui hęc omnia se nobis largiri Christus Eucharistiæ sumptione testatur? Nunquám ne malos existimas Sacramentum istud indignè suscipere? An igitur illis quoque testetur, se Christus peccata remisisse, iustificationem donasse, cæteraque omnia præstitisse, quæ tu hic nobis comminiſceris? Fatetur Ecclesia innumera dona sacramenti istius susceptione tribui, de quibus nonnulla Beatus Ignatius epistola decima ad Ephesios, & mellifluus ille Bernardus pulcherrima tradiderunt. Scimus quoque non mediocriter augeri fidem, spé atque charitatem, cæteraque Spiritus sancti dona: plus etiam hominem, qui in sumptione huius Sacramenti frequens est, audere de DEI misericordia confidere, experirique maiorem animi tranquillitatem: cor magis sedatum, conscientiam securam, quàm quemuis alium. Verùm quòd certus is de sua iustificatione & remisѕione peccatorũ eucharistiæ perceptione sit redditus, non facilè vel ille tale quid dixerit,

rit, vel nos crediderimus. De hoc errore non est quod pluribus differamus, quandoquidem de incertitudine iustificationis atque salutis æternæ, quàm copiosissimè circa Dialogum quintum disputauerimus. Hoc vnicum hic annotatum cupimus sacramenti istius primarium effectum esse remissionem peccatorum, quemadmodum rectè in Tridentina Synodo Patres definiuerunt: quandoquidem nec cibus corporis, cui hoc Sacramentum simile esse dicitur, hominem mortuum in vitam reuocat: Peccatis autẽ grauioribus mors adfertur animo. Quanquàm interim leuia atq; minora peccata deleat, & subinde quoque grauia, si eorum memoria confitentibus nobis exciderit: nam tunc Sacramenti virtus in nobis supplet, quod ignorantia desiderabat: Alij eius fructus varij sunt. Est enim sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Hoc Christi corpus (vt pulchrè admodùm B. Bernardus dicebat) ægris est medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delebat, languorem sanat: Per hoc homo mansuetior redditur ad correptionem, patientior

tientior ad laborem, ardẽtior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obedientiã promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Et vt verbo vnico cõcludamus, ea omnia præſtat in animo, quæ facit corporeus cibus in corpore, & longè adhuc plura alia.

Monhemius vt animum ſuum in rebus fere omnibus hac tempeſtate controuerſis declaret, etiam S. Eccleſiam ob cõmunionem Euchariſtiæ ſub altera tantùm ſpecie Laicis exhibẽdam, folio 105. impenſè ſiggillat, dum patri roganti, *Rectene faciunt, qui populo tantùm corpus Domini, non ſanguinẽ porrigunt?* Filius in hunc modum per interrogationem reſpondet: *Quæ diuinitùs coniuncta ſunt, quo iure homini mortali diuellere fas eſt?* Pauca quidẽ verba ſunt, ſed calumniæ plurimum S. Eccleſiæ adferunt, ſi quis ea penſiculatiùs, (vt æquum eſt) examinet. Quid enim aliud ſignificant, quàm communionem vtriuſque ſpeciei planè iuris eſſe diuini, nec ſpeciem vnam ſine altera diuelli aut ſuppeditari vnquàm poſſe. Ac proinde Eccleſiam nõ ſolùm imprudenter, ſed & impiè conſtituiſſe, Laicos panis tantùm ſpecie communicandos eſſe. Deinde ne temerè id aſſeuerare videatur; D. Cyprianum in teſtem adducit, qui quidem quo pacto intelligen-

telligendus ſit, poſteà non grauabimur enucleare, vbi primùm per vetuſtos Eccleſiæ Doctores, Concilia, atque potiſsimùm per S.ſcripturam inexpugnabilē aſtruxerimus veritatem. Confitemur quidem cum S.Eccleſia, Corpus ac ſanguinem CHRISTI, per glorioſam eius reſurrectionem ita indiuulſa eſſe, vt neque corpus ſine ſanguine, nec ſanguinem ſine corpore quiſquam ſumere queat. Cæterùm negamus cōſtanter, ſpecies ita indiuulſas eſſe, vt verum Chriſti corpus ſub altera tantùm ſpecie legitimè percipi non poſsit. Deinde non diuini, ſed humani iuris eſſe, laicos ſub vna vel vtraque communicari ſpecie: Alioqui nemo vnquàm hunc communicandi ritū aut voluiſſet, aut commutare ſine graui ſalutis diſpendio potuiſſet: Nec Eccleſia vlla ratione laicis vtriuſque ſpeciei communionem inhibuiſſet. Iam verò conſtat ante Cōſtantienſis ac Baſilienſis Conciliorū definitionem ſemper arbitrarium fuiſſe, ſub altera vel vtraque communicari ſpecie. Quod vel ab ipſis Apoſtolorum temporibus deduci, non erit operoſum. Quid enim aliud agebant Chriſtifideles, Actorum 2. & 20. dum dicuntur in panis fractione communicaſſe? Quod quamplurimi nō minùs ſan-

ctimonia quàm eruditione viri suspitiendi, de alterius speciei communione intelligi volunt. Cur non ipsius Christi factum commemoramus? (cuius Lucas cap. 24. celebrem mentionem facit) quem discipulis illis duobus in Emaus corpus suum sub panis tantùm specie dedisse constanter affirmant, D. Augustinus de consensu Euangelistarum, libr. 3. cap. 25. D. Chrysost. in opere imperfecto in Matthæū, hom. 17. loquens de pane, qui de manu Sacerdotis accipitur, vnde, inquit, & Dominus in via non solùm benedixit panem, sed & de manu sua dedit Cleophæ & socio eius. Et Paulus nauigans, (vt est Actor 27.) non solùm benedixit panem, sed & de manu porrexit Lucæ, & cæteris. Quòd autem de manu sua porrigitur, nec animalibus dandū est, nec infidelibus porrigendum, quia non solùm sanctificatum, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem. Hactenus ille. Horum sententijs astipulantur Theophylactus, & Venerab. Beda in D. Lucam. Dum igitur constat fideles Apostolorum, imò Christi temporibus alterius speciei cōmunionem percepisse, manifestum erit, non esse iuris diuini, vtranq; participare speciē. Quod etiā antiquissimi Doctores scriptis

suis

suis contestati sunt. Ac in primis Tertullianus (qui vixit anno Domini 160.) libro ad vxorem suam, refert, eam consueuisse Eucharistiam manibus acceptam domum portasse, atque corpus Dominicum sub panis specie ante alium cibum sumpsisse. Item Clemens Alexandrinus (qui floruit Anno Domini circiter 360.) libro primo Stromatum, his verbis quæ dicimus, comprobat. Haud longè à principio cùm quidam (vt mos est) dimiserunt permittere vnicuique ex populo eius partem sumere. Aduertis Monhemi, vt soleant panem illum eucharisticum partiri, & aut è vestigio, aut domum deportatum, post pietatis exercitium sumere. quod & Diuus Hieronymus contestatum reliquit, Epistola ad Theophilum, contra Ioannem Hierosolomitanum. Quisquámne (inquit) extenta manu vertit faciem, & inter sacras epulas Iudæ oscula porrigit? Vt autem hæc luculentiùs cõferamus, recensebimus ex D. Cypriano digna cõmemoratu miracula. Is in primis sermone 5. de lapsis grauiter, narrat quendam Idololatrum cũ aliis Christianis Eucharistiam suscepisse, nihilque domum reuersum præter cineres in manibus repetisse. An quisquam arbitrabitur húc etiam

ſanguinem manu portaſſe,cuius martyr il-
le mentionem nullam facit?quod haud du
biè feciſſet,ſi etiam ſanguinē ſub vini ſpe-
cie,ſicut corpus Dominicum ſub panis ſpe-
cie detuliſſet. Alterum miraculum eſt, eo-
dem referente. Cum mulier quædam S.
Euchariſtiam domum comportaſſet, atq;
in arcam ſollicitè recluſiſſet, ac poſteà eam
indignè vellet contrectare manibus,ignis
flamma erupit, quo viſo vehementi metu
perculſa ſubitò aufugit. Vbi iam fit vlla ſpe
ciei vini mentio? Quis præterea exiſtimet
illam ſpeciem vini arcę recluſam fuiſſe,quę
tam citò aceſcit? Agè, plura deſideras? D.
Ambro. lib. de Sacramentis, & de obitu fra
tris ſui Satyri commendat eum,quòd ma-
nu ſecum Euchariſtiam in naui deferens,
naufragij diſcrimen euaſerit. Accedit his
Euſebius celeberrimus hiſtoriæ Eccleſia-
ſticæ ſcriptor lib. 5. cap. 24. narrans quo-
modo ſoleat Euchariſtia ſolenniter tranſ-
mitti. Et lib. 6. cap. 33. & 34. refert, Serapio-
ni cuidam moribundo tranſmiſſam per
puerum Euchariſtiam, quam Sanctus vir
ille vino non cōſecrato iniectam ſumpſit,
& eueſtigiò ita communitus animam exha
lauit. Cur autem vino opus erat hoſtiā ma-
cerare, ac humore imbuere, ſi etiam alte-
ram

rum à Parocho attuliſſet ſpeciem? Tũ enim ſuffeciſſet in ſanguinem Dominicum impoſitam aridis ſenis faucibus porrexiſſe. Quoties audis Monhemi hic à Doctoribus accuratam alterius ſolùm ſpeciei mentionem fieri, ac nunc proſpera, nunc aduerſa valetudine laborantibus ſuppeditari? Nec tantùm Laicis, ſed & ſacerdotibus de vita periclitantibus ita adminiſtrari ſolere, exemplis illuſtribus comprobari poteſt, Refert enim Euſebius de Diuo Hieronymo, quòd alteram ſolùm ſpeciem hinc migraturus acceperit. Sic Diuus Paulinus de Sancto Ambroſio, cuius vitam non ineleganter conſcripſit. Item Seuerus Sulpitius de Diuo Martino, Amphilochius de Diuo Baſilio: Imò ſi quis vitam Sanctorum clariſſimorum virorum calculo approbatam euoluat, comperiet pleroſque, quamlibet ſanctimonia conſpicuos, in extremo vitę termino, non niſi alteram ſumpſiſſe ſpeciem, cum ob corporis imbecillitatem quibuſdam ſacrificandi non daretur copia. Accedit his non minùs celebre exemplum, quod Diuus Theodoritus factum recenſet Anno Domini 370. in S. Patrum hiſtoria, de Baſſo quodam Archipresbytero, qui cùm obiret parochias ſuas,

ac in quendam Simeonem virum Sanctū extremo vitæ periculo laborantem incidisset, censuit sacro Eucharistiæ viatico communicandam esse animam, quo tutius longum iter ingredi posset: priusquam tamen id effectum daret, os siccitate horridū curat spongia humectari, ac elui, atq; ita sacrū administrari. Quid hinc colliges Monhemi? Si in more positū erat, sanguinis Christi poculum semper porrigi, quid opus erat faucium ariditatem spōgia humectata demulcere ac mitigare? Referre etiam operepretium, quod D. Gregorius hom. in illud: Si quis venit ad me, & nō odit patrem &c. narrat de Casio Narniensi, quòd in oratorio Missam fecerit, & manu sua corpus Dominicum pacemque omnibus dederit. Idem etiam libro tertio dialogorum capite tertio factum memorabile de S. Agapito recenset, qui sacrificio peracto ab altari descendens, claudi cuiusdam manum tenuit, atque assistente populo, atque spectante, ipsum mox à terra in proprijs gressibus erexit, cumque corpus Dominicum in os mitteret, illa diu muta ad loquendū lingua soluta est. Sic & Venerabilis ille Beda ante annos 700. lib. 4. Anglicanę historię cap. 23. narrat de quodam Sacerdote, qui
iubens

Iubens ſibi adferri corpus Domini, quod manu in os miſit, ac vitam cum morte com mutauit. Vbinam hic vſquam vini, ſanguinis, ac potus, ac non potiùs ſolius panis fit mentio? ſub cuius ſolius ſpecie, S. Euchariſtiam ſumebant. Nunquàm enim conſuetudo illa ſub vtraque ſpecie communicandi fuit ita communis, & ab omnibus recepta, quin etiam altera tantùm ſpecie, ſaluo iure diuino vti liceret. De panis ſpecie abundè ſatis commonſtratum eſt: Solam etiam vini ſpeciem ægrotis ægrè diglutiẽtibus nonunquàm adminiſtratã fuiſſe, comprobari poteſt ex canone 76. Concilij 4. Carthaginenſis, & ex Toletani 11. canone. Intellexerunt igitur priſci illi patres, quos vnctio Spiritus ſancti docebat, neminem aut per Chriſti, aut Diui Pauli verba præter ſacrificantes ad vtriuſque ſpeciei communionem obligari. quis enim in eam prorumpat inſaniam, vt tot hominum myriades ab Apoſtolorum temporibus in hunc vſque diem aſſcueret, per alterius ſpeciei communionem omnes Chriſti præceptum tranſgreſſos eſſe? Impium eſſet hoc cogitare, nedum dicere. quis enim cuiquam ſanæ mentis homini perſuadeat, Eccleſiam (quam Chriſtus

ſui ſanguinis pretio acquiſiuit, & in tutelã ſuſcepit, Ioann. 14.15.16.17. & Matth. 16. & 28.) hucuſque viam veritatis ignoraſſe, aut legẽ diuinam vltronea temeritate violaſſe? An non eſt hoc Deum falſitatis, aut fractæ pollicitationis arguere? En quantis inſcitiæ tenebris inuoluuntur hęretici, dum lucis diuinæ radijs non perfunduntur aut illuſtrantur. Quantum à rectæ vitæ tramite aberrant, dum Chriſtum ducem in cordis ſimplicitate non ſequuntur. Quàm longè abſunt à veritate, dum proprio iudicio tam temerè confiſi, S. Eccleſiæ authoritatem, non dico negligere, ſed aſpernari, ac ignominia ſumma afficere remis velisque contendũt. Præceptoribus quidem ſuis peruicatia pares, opinionibus tamen ac erroribus ſæpenumero plurimùm diſpares: Auſculta Mõhemi, dicemus quemadmodum ſe res habet. Philippus Melanthon in ſuis locis communibus communicare ſub altera vel vtraque ſpecie, inter adiaphora, id eſt indifferentia commemorat. Tu verò ais ea diuinitùs indiuulſa eſſe: Accedat & alter teſtis, Bucerus, & ipſe non poſtremus inter hęreticos in colloquio Ratiſponenſi adeò huic ſententiæ non eſt rę fragatus, vt etiam cenſuerit receptã illam vnius ſpeciei communio-

munionem porrò ſeruandam eſſe, liberam faciens alterius vel vtriuſque ſpeciei communionem. Et quoniã funiculus triplex difficilè rumpitur, & in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum: Tertium quaſi Coriphæum adducemus Lutherum, nempe à quo ceu fonte omniũ malorum ſentina profluxit. Is ad Bohemos ſcribens, inquit, Quoniam pulchrum quidem eſſet, vtraque ſpecie vti, & Chriſtus hac in re nihil tanquàm neceſſarium præceperit, præſtaret pacem & vnitatem (quæ vtique Chriſtus præcipit) ſectari, quàm de ſpeciebus Sacramenti contẽdere. Audíſne Monhemi trium præceptorum tuorum teſtimonia? quibus conteſtantur vtriuſque ſpeciei communionem, nõ tam iuris diuini, quàm omninò liberam eſſe. Tu verò tanquàm illis inſtructior, ais ſpecies diuinitùs indiuulſas eſſe, quaſi altera ſine altera, citra iuris diuini præuaricationem minimè liceret vti. Et tamen cùm nihil præter Sacras literas recipiendum eſſe ſuperiùs docueris, nullũ hic ex ijs profers teſtimonium, quibus hunc tuum errorem confirmes. Nos tamen aliorum hæreticorum argumenta adferemus, eaq; ſolidè diluemus. Ne aut ſimplex lector, aut tui diſcipuli (quorũ animas

tam nefariè ac malitioſe interimis) in tuum aut alterius libellum pernitioſe impingant. Adducuntur autem ex Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Obſecramus & obteſtamur te, quicunque hæc lecturus es, vt omnes animi neruos intendas, & diligenter expendas, quæ dicturi ſumus, vt ſine negotio cognoſcas, quàm fœda interpretatione illa Chriſti verba peruertant, quę alioqui ab omni falſitatis fuco ſunt alieniſsima. Petim⁹ igitur ex Monhemio, quónam modo ſtatuat ex his verbis ſpecierum indiuulſionē, quarum hic nulla à Chriſto fit mentio? Nō enim ait, Niſi manducaueritis carnem filij hominis ſub ſpecie panis, & biberitis eius ſanguinem ſub ſpecie vini, non habebitis vitam in vobis, Sed ſimpliciter meminit carnis & ſanguinis, non autem ſpecierum. Iterum rogamus ex Monhemio, num qui Dominum ſub altera tantùm accipit, reuerà etiam corpus & ſanguinem Domini ſumat? Negare nequaquàm poteſt. Nam vt dictum eſt, cùm Chriſtus amplius mori non poſſet, nec ſanguis à corpore, nec corpus à ſanguine vnquàm ſeparari queat. Ac proinde dum ſub ſpecie panis Chriſti ſumitur

cor-

corpus, vtiq; non cadauer, ſed viuidum eſt. Si viuidum, ſanè non carebit ſanguine, in quo vita conſiſtit. De ſpecie vini idem cẽſendum erit. Sanguis enim viuidus ſine viuido corpore ſubſiſtere nequit. Hęc itaque in ſe indiuulſa ſunt, ſed ſpecies vtiq; diuelli poſſunt. Etſi Mõhemius reclamet, Si obijciat ſumentem Chriſti corpus non propriè dicendum eſſe, bibere domini ſanguinem, ſed ſumere, potus enim alteram, nempè vini, videtur requirere ſpeciem. Reſpondemus ex Doctorum ſententia, impropriam eſſe de eſu & potu phraſim, ſed Metaphoricam locutionem. Nam ſi de proprietate ſermonis contendere velimus, nemo etiam propriè dicitur manducare corpus Domini, ſed ſumere. Quis enim Chriſtum (qui ſub ſpecie panis verus Deus & homo, nunc immortalis & impartibilis eſt) dentibus conterere, aut commolere poterit? Quocirca ſicut impropriè dicitur Chriſti corpus bibi, ita etiam non propriè dicitur manducari, cum nec tãgi, nec perpeti quicq̃ poſſit. Verba igitur figuratè accipiẽda eſſe nemo miret. Neq; eñ is ſemper eſt verus S. Scripturę ſenſus, quem cortex literæ præ ſe ferre videtur, ſed quem Spiritus ſanctus nobis per inuiolabilem Eccleſiæ doctrinam ſugge-

ſuggerit, etiam per voces nõnunquàm metaphoricè ſumptas. Neque verò de proprietate ſermonis ſemper in S. literis, vt in Cicerone digladiandum eſt. Cõperimus autem vtrumque ſiue de potu, ſiue de eſu loquaris, impropriam eſſe phraſim. Quare qui corpus domini ſub ſpecie tantùm panis, vel ſub ſpecie vini accipit, dicitur mãducare carnem filij hominis, & bibere eius ſanguinem. Quid enim aliud eſt manducare & bibere, quàm ſumere: Qui autem Chriſti corpus ſub altera ſumit ſpecie, vtrumq; certè & corpus & ſanguinem Chriſti ſumit. Siquidem (vt iam oſtenſum eſt) alterum ab altero in ęternum ſeparari non poteſt. Obligãtur igitur omnes præcepto Chriſti, etiam Laici ad ſumptionem corporis & ſanguinis Dominici. Huic autem mandato ſatisfaciunt, cùm ſub ſpecie panis corpus & ſanguinem Domini percipiunt. Nequaquã verò præcipere Chriſtum vtramq; ſpeciem Laicis percipiendam eſſe, iam abundè mõſtratum eſt, cùm neutrius ſpeciei hic meminerit. Imò in totò quidem capite, ne ſemel quidem vini mentionem facit, panis autem frequentiſsimè. Si aures Lector accommodabis beneuolas, dicemus quod maius eſt, nempè manifeſtiſsimè ex hoc capite

pite

pite posse colligi, Laicis communionem sub specie panis ad salutem consequendam sufficere. Non nos, sed Christum patris sapientiam hoc capite sic loquentem audias: Qui (inquit) manducat hunc panem, viuet in æternum: Et iterum, qui manducat me, ipse viuet propter me. Atqui Laici sub panis tantummodò specie communicantes, hunc panem ac Christum ipsum manducãt: consequens igitur est communionem sub panis specie ad salutem adipiscendam sufficere Laicis, nisi quis planè atheos dixerit, Christum ad salutem non sufficere. Quin potiùs, si rem ipsam penitius introspicias lector, videas manifestè Laicos sub vna tantùm specie communicantes, nulla prorsus ex parte fraudari, si rem ipsam, nempe Christum, siue fructum ipsum, qui hoc Sacramento percipitur, spectare velis. Quod enim ad ipsum Christum hoc Sacramento contentum attinet, iam antè ostendimus, non minùs sub vna quàm sub vtraq; cõtineri specie. Quod autem ad fructum seu gratiam huius Sacramenti spectat, clarum est, hunc fructum tũ ab ipso Christo, tũ à fide & præparatione communicantis pendere. Cum igitur tanta sit, ac esse posit, Laici sub vna specie commu- Ioan. 6.

communicantis, quanta est sacerdotis sub vtraque specie sumentis religio: Consequitur, Laicum tantundem sub vna specie, atque sacerdotem sub vtraque accipere. Licet sacerdotes aliquando dum sacrum peragunt, vtramque speciem adhibere debeant. Nam Christi in cruce se patris offerentis personam referunt, ac separationem illã sanguinis Christi à corpore repræsentãt. Atq; vt hoc faciãt, à Christo in cœna mã datum acceperunt. Illis namq; dictum est,
Luc. 22. Hoc facite in meam cõmemorationem. Satis ergo perspicuè commonstratum esse arbitramur, nulla ratione omnes promiscuè ad vtriusque speciei communionem per Christi verba cõstringi, sed solùm ad sumptionem corporis & sanguinis Domini, qui non minùs sub altera tantùm, quàm sub vtraque peragitur specie. D. etiam Pauli verba (quibus hæretici vtriusque speciei necessariam communionem probare nituntur) diligenter trutinemus, vt aduertamus, si vim aliquam præcepti obtineant, & omnes ad vtriusque speciei communionẽ obligent. Seclude lector precamur affectum, & veritatem toto pectore perscrutare. Sic enim ait Diuus Paulus: Ego enim
1. Cor. 11. accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoni-

quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meã commemorationẽ. Similiter & calicẽ poſtquàm cænauit, dicẽs: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcunque biberitis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaq; quicunq; manducauerit panẽ hunc, & biberit calicẽ Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. Quid hic ex progreſſu verborum aliud colligere poteris, quã Apoſtolum nihil quicq̃ præcipere de cõmunione alteriꝰ vel vtriuſq; ſpeciei, ſed ſolũ Chriſti factũ enarrare, quid in cœna illa nunq̃ ſatis ſtupenda, egerit? Neq; enim verba illa, Hoc facite, &c. Laicis accõmodari poſſunt, (niſi & illis poteſtatem conſecrandi vindicemus) facere enim, etiam complectitur cõſecrare & offerre, vt Diuus Cyprianus ad Cecilium, & Damaſcenus, & alij celebres viri teſtantur. Etſi igitur Paulus Corinthijs (apud quos tunc erat ea conſuetudo) permitteret vtriuſq; ſpeciei communionẽ,

non

non tamen eam præcepit. Nec enim (tradidi) hic idem eſt quod (præcepi) ſed potius docui. Sicut Euangeliſtæ dicuntur nobis tradidiſſe doctrinam & miracula Chriſti. Adde quòd Chriſtus Apoſtolos in Sacerdotes conſecrans, non diſpoſuit de modo vtendi vel ſumendi hoc Sacramentum, ſed magis de eius ſubſtantia & miniſtro. Facere igitur diſtinguitur contra Sacramenti vſum, primaria autem inſtitutionis ratio eſt, vt ſacrificiũ haberemus, quod Deo patri offeratur. Cæterùm vt edatur aut bibatur, eſt finis inſtitutionis, ſequens alterum primarium. Quo verò tempore, vel loco, aut in pane azymo, vel fermentato (in quo Græci conſecrant) quibus ritibus adminiſtretur, aut circumſtantijs alijs cõſecretur: Hæc omnia reliquit per S. Eccleſiam pro diuerſitate temporum, locorum, ac perſonarum diſponenda. Hæc etiam ordinaturum ſe pollicetur Apoſtolus, dum ait, cætera cùm venero diſponam. Vbínam legitur Apoſtolum pollicitis reſpondiſſe, & alia de hoc Sacramẽto diſpoſuiſſe, cùm nuſquàm præterquàm in hac Epiſtola ſacramẽti meminerit? Conſtat itaq; Apoſtolum Corinthijs, & alijs diſcipulis, quoſdam ritus tradidiſſe, quos ab Apoſtolo diſcipulis tradi-

tos

tos etiamnùm in Ecclesia seruamus ac custodimus. Alioqui, si ad circumstantias & ritus à Christo exhibitos nos obligari putemus, tunc non nisi post cœnam, prandium, & pedum lotionem erit offerendum: præterea nõ nisi cœnatis, cum alijs circumstantijs quamplurimis dandum erit, quod D. Aug. in Epistola 118. ad Ianuarium improbat impensè. Præterea verba illa, quæ apud D. Marcum cap. 14. inueniuntur: Bibite ex eo omnes, nõ constringunt Laicos ad bibendum, sed solùm illos, qui præsentes erant, Apostolos. Nam sequit: Et biberunt ex eo omnes. Quis non videat hoc falsissimũ esse, si ad alios, quàm ad solos Apostolos præsentes referatur? Aut ergo falsitatis arguendus erit Euangelista, aut asseuerandum erit, Laicos his verbis non astringi ad calicis potationem. Neq; verbis etiã Paulinis, dum 1. Cor. 10. ait, Omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus: Nam Greci codices sic habẽt, ὅτι εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα οἱ πολλοί ἐσμεν; οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν, hoc est: Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: Nam omnes ex eodẽ pane participamus. Nulla autem facta est calicis mentio. Hic apertè aduertis, ad vnitatẽ corporis satis esse cun-

ctis, vt de vno pane participent, nec calicis exigitur communicatio. Si Monhemius obstrepat, superiùs Paulum benedictionis calicis meminisse. Respondemus, quísnam alius benedicit calici, nisi solus Sacerdos, aut quis alius frangit panem. Deinde cùm de Laicis loquitur, solius panis mentionem facit, vt non obscurè Græca testantur exemplaria. Diuus enim Paulus omnes nos vult esse Christi corpus. Perspicuum igitur est, quomodo CHRISTI & Apostolorum verba, ex ijs quæ præcedunt & sequuntur interpretanda sint, quæ nemo melius, quàm S. Ecclesia spiritu Christi imbuta, interp̄tari potest. Et quia hæc oĩm optimè intelligit, Laicos per nullum scripturę locum ad communionem vtriusque speciei obligari, per Conciliũ Constãtiense & Basiliense constitui, nulli extra Missæ sacrificiũ vtriusq; speciei communionem porrigendam esse. Nemo autem Ecclesiam temeritatis aut præcipitis consilij suggillare debet, quam ad hoc statuendum iustissimas ratiões permouisse credere fas est, quæ quidem in hũc modum assignari possunt: Primùm, ne Laici sibi persuasum haberent, se ad vtriusque speciei perceptionem obligatos esse præcepto diuino: Deinde, vt doceat

erat nihilominùs totum christum tam sub vna, quàm vtraque comprehendi specie: & eorum excludatur error, qui sub vtraque plus, quàm sub altera complecti putabant: neque Deum offendi, si ex Ecclesię edicto, alterā tantùm speciem suscipiant. Demum ob vitanda immania illa pericula effusionis sanguinis, quæ nunc ob tantam hominum multitudinem ac insolentiam, difficillimè caueri possent. In primitiua verò Ecclesia maior erat in omnibus Sacramenti reuerentia, qui quotidie dira pro Christi nomine subeunda expectabant supplicia, ac proinde vt recenti magis incalescerent passionis Dominicæ memoria, illis haustus sanguinis dabatur, vt sicut Christus pro nobis, ita nec illi suum pro Christo dubitarent sanguinem, & vitam profundere. quod verò ad Cyprianū, quē citauit Monhemius attinet, fatemur ingenuè vtriusq; speciei communionem eo tempore in vsu fuisse, sed non eo modo, vt non licuerit etiam altera tantùm specie legitimè vti, quemadmodū partim ex historiographis, ac tot Doctoribus eximijs, constat, partim quę ex S. scripturis germanè interpretatis, iam adduximus, quæ homines alioq; emūctæ naris ac obstreperos meritò

placare deberent. Tacemus interim de inuiolabili Ecclesiæ authoritate, cui nemo nisi cum salutis dispendio reluctari potest. Quid enim aliud vociferatur Christus, Lucæ 10. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit, &c. Deinde Matt. 23. Omnia quæcunque dixerint vobis, facite, &c. An non & vos electionis suo Magistro concinit, hi. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, &c. Et iterum, Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita, &c. Nam qui potestati resistit, Dei ordinatiōi resistit, & iudicium sibi acquirit. Quàm grauibus igit discriminibus se multi principes implicant, dū S. Ecclesię parère recusant. quātis se periculis inuoluunt subditi, dum principibus quamdiu licita præcipiunt, nō obtemperant. Cæterùm ita cōparatum est iusto Dei iudicio, vt principes similem in subditis suis experiantur rebellionem, qualē ipsi Matri Ecclesiæ exhibere non formidant, quo nihil certè scelestiùs esse potest, nihil quod Dei gloriam magis obscuret, nihil quod Christus in hac vita grauiùs mulctandum, ac impensiùs culpandum esse existimarit. Dum ait Matt. 18. Si Ecclesiā nō audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Quid igitur de communica-

nicatoribus iſtis vtriuſq; ſpeciei, ex Christi verbis cenſendū erit? niſi quòd toti mundo veluti Ethnici & Publicani habēdi ſint. Non noſtra, ſed Christi verba ſunt. Si noſtram repudiare conatur Monhemius, certè Christi cenſuram nec negare, nec conuellere poteſt. Quem igitur fructū ex hac communione videbuntur referre, qui ſponſam Christi obfuſcant, contemnunt, lacerant, imò perditum iri volunt? Scimus quid dicturus ſit, qui Christi & ſponſæ eius S. Eccleſiæ flagrat amore. Nempè non ſolùm illos non fructum aliquem ſalutis aut gloriam, ſed perditionē æternam, ac perpetuam reportare ignominiam. Quantò igitur ſatiùs eſſet, ex præcepto S. Eccleſiæ vnicam cum gratiarum incremento percipere ſpeciem, quàm cum vtraque ſpecie fructum ſacramenti, ac cœlum ſimul perdere, & ſempiternam metere gehennam. Horreſcimus referētes, horreſcimus ſanè, dum videmus populum ex falſa ſycophantarum perſuaſione, tam procaciter in propriā ruere pernitiem, qui tam facilè S. Eccleſiæ morem gerentes, ſalutem conſequi poterant. Quid ſi quiſpiā in omnibus alijs Eccleſiæ pareat, in hoc autem vno Articulo ab ea diſcrepet? Quæ alia de eo, quàm D. Iacobi 2. cap. po-

test ferri sententia? Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Quamuis circa hanc materiam plura dici possent, tamen ad finem properamus, ne metas disputationis excedamus. Nemini autem non hec, quæ diximus sufficere poterunt, qui vel guttulam Christiani sanguinis habeat, vel sensuum suorum iudicio vti velit. Nunc ad piam Monhemij precationem accingimur, quàm habet folio 105. in hunc modum,

Orandus est Christus, ut dissensionem hanc de altera uel utraque specie, & simul pestiferam, &c.

Compellamus te Monhemi, quis hanc dissensionem cum tanto animarum periculo in orbē inuexit? Quis ante annos circiter quadraginta, vnquàm huius contentionis meminit? Quis vnq̄ (nisi fortè Bohemos excipias) contra Ecclesię mandatū visus est vtramq; speciem ambire? Non dubitabant quidē semel maiores nostri, quin simplici corde Ecclesię preceptis obsequendū esset, nec vlla ratione insultandū esse censebant, nec qualicunq; colore quę statuisset in consultationē aut ambiguitatem vocanda esse. Etsi fortasse tu (vt solent hæretici parētum famā proscindere) hoc nostrorū imprudentiæ aut rudi simplicitate vindicandū arbitrere, profectò totus orbis reclamabit, ac te

falsita-

falſitatis cõuincet. Oblatrabũt tibi præclara illa maiorũ noſtrorum monumẽta, quæ quotidie oculis tuis & noſtris ſeſe cõſpicienda offerũt. Quãdo ſanctiùs, ac puriꝰ vnq̃ floruit Chriſtiana religio, q̃ dum tot templis ac monaſterijs, tot ſacrificijs, cõcionibus, ac cęteris id genus diuinis officijs fundandis incumberẽt, ac magnã pecunię vim in hoc liberaliter impartirẽt, nec tamen poſteros ſuos iuſta hæreditate fraudabant, ſed & illis plus ſatis opũ relinquebant. Dominus enim ſibi donata cũ auguſtiſsimo fœnore refundebat. Cõferas ergo ô Mõhemi in primis illa cum noſtro hoc deploratiſsimo ſeculo præclara facinora. Illi huiuſmodi magnis impendijs conſtruxerunt, filij nunc temeraria procacitate deſtruunt, imò funditus euertunt, aut ſolo ſaltem æquant. Illi ſua donarunt, ac locupletiores facti ſunt: hi non ſolùm nõ ſua ſubtrahunt, ſed & aliena diripiunt, & ad inopiam rediguntur, vt rectè dixerit Sapiẽs, prouerbiorũ 11. Alij diuidunt ꝓpria, & ditiores fiunt, alij rapiũt nõ ſua, & ſemp in egeſtate ſunt. Et ne q̃d fœdius dicã, virgines deo cõſecratas libidinib. ꝓſtituũt. Tales ſunt Mõhemi, qui tuis ac tuorũ peſtiferis dogmatibus perſuaſi, has noxias contentiones, ac rerũ omniũ

 per-

perturbationem mũdo intulerunt. Sed ad alia progrediamur, quæ etiã non vulgaris maiorum nostrorũ pietatis sunt argumenta. quis xenodochia, in quibus pauperes ac morbis tabidi aluntur tam amplis annuis prouentibus locupletauit? Et (vt innumera alia prætereamus) quando vnquàm melius riguit in singulis ciuitatibus Respub. quàm cùm maiores nostri eã gubernãdam ac cõstitutionibus, quæ etiãnùm apud multos supersunt, eam prudẽter fouerunt, vsq; adeò, vt ciues nõ solùm diuitijs affluerent, sed etiã in pietate ꝓgressum facerent. in summa tranquillitate ac cõcordia inter se viuerẽt, Principibus ac magistratib. iustũ honorem deferrent, edictis libenter obtemperarent. Nunc verò cũ hac falsa religiõe, ne dicã perfidia, adeò flaccidę sunt factę politiæ in plerisq; ciuitatibus, vt non nisi dolis & fraudib' negotiationes peragant, & alter alterius fortunæ ac felicitati malitiose inuideat, aut dolose insidietur, adeò vt apertè conijcias, inter Christianos disparem religionem, perpetuò omnium rerum perturbationem ac pernitiem comitari. Si experientiæ fidem adhibere voles, non te exteras nationes, sed ad miseram illam Germaniã ablegabo, videbis illic miserãdam rerũ

faciem,

faciē, omnia hiulca, manca, exulcerata esse, cum religionis labefactatione, vel potiùs ablatione, neglectam etiam esse ciuilem politiam. Nulla, aut exigua admodùm pręstatur principibus ac magistratibus obedientia, quisque in suo arbitrio ac iudicio conquiescit, ac quod vult, facit. Denique adeò omnia pessum eunt, vt illos, quibus adhuc aliquid luminis inest, prorsus maiorum suorum pudeat: ita vidētur omnia feruere tumultibus, litibus, rixosis disputationibus, & rerum interitum minari, vt velint pestem hanc expulsam, ac veterem illam ac Catholicam religionem reuocatam esse. Vtinam Principes illi Catholici ac magistratus, qui nondum colla illorum iugo subdiderunt, hanc execrabilē rerum metamorphosim abominarētur, ac sibi suisq; tempestiuè prouiderent, atq; tales lupos ac vulpeculas, quæ vineam Dñi demoliuntur, quibus non inæqualem se Mōhemius exhibet, regnis suis exturbarent, alioqui paulatim gregem inficient, ac infectum mactabunt & perdent. Conniuere volunt multi, donec mala vsque adeò inualescant, ac increbrescant, vt non nisi cum maximo rerū dispēdio, ne dicam cum vitę discrimine malis mederi possint,

atque non nisi cum tritico zizania queant euellere. Quid attinet de animarum periculo cōqueri, quarū subinde minùs, quàm equorum suorum cura plerosque prô dolor anxios habet. In alendis equis, canibus, ac ampla familia, sunt nōnunquàm & Ecclesiastici & Sæculares principes admodum prodigi: in nutriendis studiosis ac sustentandis viris doctis, parcissimi. Hinc cō tingit, vt multis in locis studia nō dico flaccescant, sed planè extincta esse videantur & iaceant. Quid ita? facilis est coniectura, siquidem doctis non sunt vlla proposita præmia, ac proinde vitam in ocio ac vmbris degere, quàm vires laboribus sine premio extenuare malunt, quamuis in omnibus Christi gloria potissimùm spectanda foret. Adolescentes quibus non suppetit comparandorum librorum facultas, à paucissimis iuuantur, etiamsi ingenio polleant, & Ecclesiam aliquando ab istis exitialibus hæresibus vindicare possint. Pauperum aut exigua, aut nulla cura est. Si qua Præbenda per mortem alicuius vacauerit, ea statim ad nōbiliū filios, qui subinde vel ad venandas feras, vel ad ferenda arma, quàm ad literas sunt aptiores. Hęretici interim in sinu gaudent,

atque

atque Catholicorum oſcitantiam, ſupinamq; negligentiam ſubſannant. Magnis impendijs ſuos alunt, pecuniæ vi Catholicos ad ſuos errores pelliciunt, ac fœdè corrumpunt. Ampliſsima mercede ſuos conducunt, vt libros, quibus Catholicos fatigent, conſcribant, ac in omnes mundi partes propagent. Hij ſunt Monhemi, qui diſſenſiones faciunt (quos Diuus Paulus vitandos acriter monet, Rom. 16.) inimici crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt. Quantò rectiùs præcareris Dominum Deum, vt & à te, & ab alijs ſpiritum diſſenſionis auferret, vt repudiatis erroribus, in vnitate fidei vnanimes vno ore confiteremini vnum Dominum Ieſum, & ſpõſam eius Eccleſiam amplecteremini, depoſito ſupercilio. Non inter Catholicos de negotio fidei altercatiꝰ eſt, ſed inter tuos cõplices: aliter Lutherus, aliter tu, aliter Caluinꝰ docet, & ab hoc Melanthon ex diametro diſsidet. Tacemus de Bucero, Brentio, Oſiandro, Zuinglio, Oecolampadio, & nuper nato Velſio, qui cũ perpetua nominis ignominia in oppugnãdą Eccleſia tyrociniũ poſuit. Sexcẽta huiuſmodi ferè ſectarũ genera ab alijs cõmemorata inuenias, quæ adeò à ſe mutuò diſcrepãt, vt citiùs aquã è pumicè elicue-

Phil. 3.

elicueris, aut cælum terræ miscueris, quàm hæc inter se conciliaueris ac composueris. Tu iactas te purum habere Euangelium: Melanthon fortè dicet se habere purius: Caluinus purissimum se habere non dubitauerit affirmare. De alijs qui etiã suam vesaniam hoc anno prodiderunt, quid dicemus? nisi quod hij iactitant se docere purum Lutheranismum, aut si mauis, Sathanismum. Quis nunc præter hos Lutheri paradoxa mordicus ampliùs tuetur? qui tamen omnium sectarum, (quæ nunc totum orbem concutiunt) author fuit & origo. Quàm candidos habet ille discipulos, qui malunt somnia propria comminisci, quàm præceptoris sui oracula amplecti. Et sicut tu à Magistro tuo desciuisti, ita breui futurum est, vt & tui discipuli, quos Euangelium tuum doces, à te longo interuallo breui dissideant. Si roges nos, quænam sit omnium horum malorum lerna, In promptu est responsio, quòd eadem quæ tot dæmonum phalanges è cælo percipites dedit. Nempè immanis illa belua superbia, quæ efficit, vt quisque pro suo arbitrio & ingenio nouas semper sectas comminiscatur, ac rudi plebeculæ, (quæ quo uis vento, veluti arundo, rapitur) qui-
busdam

busdã falsis interpretationibus proponat. O quàm insulsus est, ac parùm ab amẽte differt, qui neglecta Ecclesia veritatis columna, huiusmodi præstigiatoribus fidem adhibet. Precandus esset Dominus DEVS, vt pro sua inexhausta clementia mentes principum ac magistratuum diuino lumine illustraret, quò has versutias ac imposturas, & hominum maleuolorum conatus penitus intelligerent, intellectas monitionibus acerbis suffocarent, aut si aliter fieri non posset, regnis suis ferro & igni propulsaret, aut deploratos morte mulctarent. O lachrymandam quorundã principum negligentiam, qui magis dilatãdis regnis & imperijs, quàm propagandæ fidei Catholicæ operam impendunt, vtinam diras illas Dei comminationes cordibus suis insculperent, quas Dominus per prophetam detonat. Ezech. 3. & 13. Sapient. 6. Psal. 2. Hæc breuiter dicta sufficiant, ne piam tuam precationem silentio præterijsse videamur.

IN DIALOGVM DECIMVM DE POENITENTIA.

DE Sacramento Pœnitentiæ dum hoc dialogo disserit Monhemius, partim

tim commendandus est, quoniam minus impiè de eo quã cæteri locutus fuerit: partim quoq; reprehendẽdus, quoniã maiorũ suorũ vestigijs non inhæserit. Nõ reijcit ille quidẽ cordis contritionẽ, & oris confessionẽ: alias tamen excogitauit partes pœnitentię, satisfactionis nullã prorsus mentionẽ faciẽs. In hoc itaq; in p̃sentia incũbendũ erit, vt quid hactenus de Sacramẽto hoc sacrosancta tradiderit Ecclesia, primũ exponamus, deinde quid Monhemij sententia veritatis cõtineat, explicemus. Ecclesia Catholica Pœnitentię Sacramentũ ideò docet institutũ esse, vt qui post baptismũ in peccatum aliquod denuò relapsi essent, hoc ipso diuinæ bonitati reconciliarẽtur, suorumq; criminũ remissionẽ cõsequerẽtur. Duo aũt in hoc Sacramẽto, quemadmodũ & in ceteris omnibus inuenire licet: formam videlicet, quæ his verbis constat: Ego te absoluo, &c. Et actus eius hominis, qui suorum peccatorum pœnitentia ducitur, veluti materiam. Actus autem isti, tres in partes distribuuntur, (à quibus tres esse partes Pœnitentię dici consueuit) cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem. Hæc vt paucis declaremus, Monhemijque planiùs demõstremus errorem, istud ab ingenuo

genuo lectore, in cuius gratiā hæc conscripsimus, annotandum esse operæpretiū duximus: Sacramentum videlicet istud longè alia ratione, atq; Baptismū conferri solere: hic enim veluti ostiū quoddā est, per quod in Ecclesiam Dei ingredimur: illud verò, in modū iudicij exercet, ipsius rei discussis causis atq; criminibus. Christus namq; Seruator, quādo in vniuersum orbē Apostolos misit, Ite, inquit in vniuersum mundū, baptizātes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quando verò confessionē instituit, nō hoc modo locutus est, ite, remittite peccata hominibus, sed tāquam iudiciū quoddam instituens: Accipite (inquit) Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: ac si diceret: Ego vos vestrosq; successores præsbyteros omnes, Christianorū cōstituo iudices, vt examinata causa vel ijs remittatis peccata, vel contrà retineatis. Hoc quàm probè D. Gregorius Nazianzenus intellexerit, ex ipsius verbis clarissimè cōstabit. In ea enim oratione, quā ad subditos timore perculsos, & Imperatorē irascentē habuit, ita Imperatorē alloquit: Lex Christi vos meę potestati, meęq; subiecit tribunali. Imperamus enī & ipsi, addo, imperio maiori & perfe-

Matt. 28.

Ioan. 20.

perfectiori: aut oportet potius Spirit⁹ sub-
sit carni, cælestiaque terrestribus? Suscipe
igitur vocem liberiorem. Scio te ouem esse
mei gregis &c. D. Chrysostomus quoq; li.
3. de de sacerdotio, Totū iudicium (inquit)
quod à patre Christus accepit, in Apostolos
transfudit, & item Hilarius in cap. 16. Mat-
thæi: O beatus (ait) cæli ianitor, cuius arbi-
trio claues æterni aditus traduntur, cuius
terrestre iudicium præiudicata autoritas
sit in cælo, vt quæ in terris aut ligata sunt,
aut soluta, statuti eiusdem conditionē ob-
tineant & in cælo. B. Gregorius homilia
26. in Euangelia, Pœnitentiæ Sacramentū
cum forensi iudicio cōfert, in quo primùm
causæ explicantur atque discutiūtur, vt de-
inde æquum de ijs feratur iudicium. In Fo-
rensi autem iudicio tria quędam spectanda
videntur, nempè, Eiusdem omninò homi-
nis esse sententia absoluere & sententia cō
demnare. Deinde iudicem nisi cognita cau
sa, atque etiam nisi reum pœniteat absolue
re iure non posse. Tertiò si quando absol-
uat, id sine mulcta non semper fieri consue
uisse. Quemadmodum igitur sese res habet
in forensi iudicio, sic etiam in Pœnitentiæ
Sacramento vsu venire conspicimus. In eo
enim saterdos iudicis locum tenens, causis
pecca-

peccatisq́; intellectis, si iustum fore existimat, confitentem absoluit, iniuncta tamen pœna aliqua temporali, qua pro peccatis suis satisfaciat: Si verò indignum eum absolutiõe existimet, pro data sibi facultate peccata eius retinet. Quantum autem ad reum attinet, tres in eo operationes inueniri debét, quarum prima est, vt vera ducatur peccatorum suorum pœnitudine, sine qua nullus veniæ locus est: secunda, vt iudici peccata confiteatur: tertia, vt iniunctam sibi à Iudice mulctam (quam satisfactionem nominant, æquo animo libenterq́; sustineat. Hæ operationes tres Pœnitentiæ partes vocari solent, Contritio, Confessio & Satisfactio. Finis porrò istius iudicij hic statuitur, vt Deo reconciliemur, quem grauiter peccatis nostris offenderamus: Sed de his omnibus; si placet, Florentinum illud & Tridentinum Concilia consule: Quanquam interim ex ijs etiam quę dicta sunt, liquidò constare posſit, quàm stupidus error à Mõhemio sit commissus, qui duas tantùm esse pœnitentiæ partes, idq́; nouo quodam more, edocet, mortificationem videlicet, & viuificationem, quiq́; satisfactionem nõ obscurè excludit, cùm nullam eius in tota hac tractatione fecerit mentionem: deniq; qui

folio 112. *priuatum sacerdotem priuato resipiscenti remittere quidem posse peccata existimat, non tamen unum posse non pœnitentem ligare. quippe quod priuatum iudicium (ut ipse inquit) multis, nempe amore, odio metu, cupiditate excæcari possit adeo ut proniores æquo simus ad condemnandum quam ad seruandum: malle aut Deum seruare homines quam perdere.* De his tribus erroribus vt ordine dis[s]eramus, illud mirari satis non possumus, qui fiat, vt Pœnitentiæ partes sint mortificatio & viuificatio, seu quod idem valet, internetio, & vitæ restitutio. Ista namque effecta potius, quàm partes dixeris. Quid enim aliud hoc sacramento efficitur, quàm vt qui prius peccatis viuebamus, coram Deo mortui: nuc cõtrà, moriamur peccatis, viuamus verò iustitię & Deo? Nam quãdo sacramẽtum illud perfectũ atq; totum consummatũ est, peccata expellutur, quæ mortis causam adferebant, introducitur verò gratia, iustitia & charitas, per quam animus viuit. Neque verò Pœnitentiæ solius sunt isti effectus, sed omnium etiam actionum, quæ à vera charitate proficiscuntur. Quandoquidem hoc nostris laboribus, ieiunijs, vigilijs, orationibus, & id genus alijs pijs operationibus efficimus, vt in dies magis magisq; pec-

catis

cätis moriamur, animi prauas affectiões extirpemus, & quicqd tandem imperfectioně potest adferre, tollamus: iustitiæ verò perfectius viuamus, experiamurq; in nobis flagrãtius quotidie desideriũ, vt amãtissimo nostro Seruatori adesse possimus, eiusque dulcissimo cõspectu perfrui. Hæc autẽ iam enumerata, quid aliud q̃ mortificationẽ & viuificationẽ esse dixeris. qui fit igit̃, quòd tã à maiorũ tuorũ sententia nouitate verborũ Mõhemi deflexeris, nouamq́; nobis Pœnitentiæ definitionem aduexeris, Esse videlicet synceram vitæ nostræ emendationem à vero serioq; timore Dei ortam, carnis nostrę veterisq; hominis internecionẽ, & spiritus renouationem complectente. Siquidem duo hæc, vt intelligere modò potuisti, verè partes nõ sunt, sed effecta potius, non pœnitentiæ tantũ, sed omniũ bonarũ actionũ. Cæterũ, vt ad secundũ errorẽ de satisfactione veniamus: qui factũ est, quòd illam apud veteres oẽs vsq; adeò celebrem ac probatã, surda (quod dicitur) aure trãsiueris? illecebræ, vt non apertè te hæreticum profitereris, illustrissimi principis tui metuens indignationem. Is enim si tantam sub pectore tuo vulpem latere sciret, ne ad horam quidem te rectorem (dixerimus

rectius veteratorem)suæ scholæ relinque-
ret. Nouimus nos interim ex discipulis tu-
is Monhemi, qui his, quibus corruptus sen-
tentijs, quos fructus ibi proferas, quàm tu
benè quamq; vtiliter regionibus illustris-
simi Ducis consulas: Discipuli illi tuas hæ-
reses produnt: illi tum verbis apud præsen-
tes, tũ literas apud absentes, quibus eos in-
stituas modis, apertè significant. An ne pre-
clara res est, vt pueri cũ pueris, de satisfactio
nibus, de purgatorio igne, de libero arbi-
trio, alijsq; grauissimis Theologicis quæ-
stionib. passim decertẽt, & absentib9 tanq̃
iã plenè de reb9 istis edocti (cũ tamẽ in me-
dijs adhuc grammaticorũ scholis versẽt)
hæreses tuas persuadere contẽdant? Nõ ve-
rẽtur, purgatoriũ ignẽ nouo atq; blasphe
mo vocabulo maculatoriũ dicere. Satisfa-
ctiones ridere, atq; arbitrij libertati miris
modis insultare. Agè Mõhemi, agè inq̃, in
extremã tecum perniciẽ, & tuos & aliorum
discipulos ꝑtrahe. Cõfidimus nos tamẽ de
principis tui illustriss. pietate (cuius opẽpij
oẽs parẽtes, quorũ tu hacten9 liberos mise-
rè peruertisti, lamẽtabiliter implorãt) imò
verò nõ dubitamus, quin cognita hac tua
neqtia, & peruertendi libidine, ingenuorũ
adolescentũ, quorũ tu animos studes puer-
sis hæ-

ſis hæreſibus imbuere, miſertus, breui ſycophantiæ iſti tuę ſit finē impoſiturus: ſperamus illuſtriſsimum principem hac in re ſuæ magis ſtaturum conſcientiæ iudicio, quàm tuis aut aliorum ſuggeſtionibus atque conſilijs commotum iri. Verùm vt ad rem nunc redeamus, ſcimus quid de ſatisfactione ſentias, quidque de Purgatorio igne (qui vnus eſt Satisfactionis modus) vt proinde non immeritò nobis ſit hac de re non ſecùs diſſerendum, quàm ſi apertè eam ſuſtuliſſes. Primùm igitur certiſsimè omnibus conſtat, CHRISTVM DOMINVM pro totius mūdi delictis ſuo ſanguine abundè ſatisfeciſſe, neque citra eius ſubſidium (quemadmodum Dialogo quinto ſat annotauimus) quicquam actiones noſtras valere. Deinde ſi quiſquam in Eccleſiam CHRISTI primùm aſſumatur, ita eum Sacro Baptiſmate ab omni peccati macula penitus ablui, vt ſatisfactione nulla ſit opus, quam pro commiſsis peccatis exhibeat. Cæterùm ſi Eccleſia DEI præclariſsima eſt, optimeque conſtituta reſpublica, & ſicut caſtrorum acies ordinata, nulli dubium eſſe debet, quin ſummo ſtudio curandum ſit, vt, qui in eam aſſumpti ſunt, cùm in vitia non relabantur, tum omni-

genis exornentur virtutibus: adaptentque animos suos habitaculum sanctum Domino. Non potuerunt autem illa fieri commodiùs, quàm si coram iudice aliquo crimina sua detegerent relapsi fideles, qui cum absolutione quam impenderet, pœnam etiam aliquam atque satisfactionem secundum mensuram delicti iniungeret. Quantumuis enim Christus sua passione & morte fuerit promeritus, vt quicunque dolore suorum peccatorum tenerentur, statim ijs omnibus & culpam remittere posit, & pœnam, non id tamen: quò melius Politia Ecclesiastica conseruaretur, facere voluit, quin potiùs satisfactiones aliquas exegit, quas nos ipsi scelerum enormitati rependeremus. Id porrò eo consilio factum est, vt maiori cura fideles peccata declinent, neque occasione accepta, peccata leuiora putãtes, velut iniurij & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labantur, thesaurizantes sibi iram in die iræ. Proculdubio à peccato reuocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilãtiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquijs, & viciosos habitus malè viuendo comparatos,

Vide Tridét. Syno. canone 8. de Pœnitẽtia.

Rom. 2.

tos, contrarijs virtutum actionibus tolluntur, & denique Christo Dno, qui pro peccatis nostris satisfaciens tam acerba passus est, conformes reddunt. Hæc causa fuit, vt cùm potuerit, non tamen voluerit vnà cum culpa pœnam quoque omnem Seruator à nobis sustollere, sed post culpam deletam satisfactionem adhuc aliquam exigere. Neque verò hæc nostra satisfactio quicquam derogat satisfactioni CHRISTI, cui nostra illa prorsus innititur, à qua & vim omnem suam recipit, quemadmodum neque operum nostrorum merita vel minima ex parte meritis CHRISTI detrahunt, vt Dialogo quinto copiose satis à nobis est explicatum: sed efficaciam eius potius arguunt, qua tantam virtutem actionibus nostris est elargitus, vt & illæ non infrugiferæ aliquid etiam promereantur. Cæterùm hoc studiose annotandum venit, huiusmodi nostris satisfactionibus pœnisque, quas pro peccatis nostris sustinemus, non culpam deleri, reatumque æternæ damnationis, quē peccantes incurreramus, (hæc enī solius Christi merito quòd nobis absolutiōne applicatī tolluntī) sed Deū tantùm placatiorē mitioremq; nobis reddi, dū temporaneā pœnā ꝓ peccatis

ſuſtinemus,in quam virtute Sacramẽti fuit ęterna illa commutata. Vis familiari ſimilitudine, quę hactenus diximus declaremus? Ecce tu nunc Rectorem agis Duiſſeldorpẽſis Gymnaſij. Sit igitur ex numero ſtudioſorum tuorum quiſpiam,qui te grauiſsimè offenderit,adeò etiã,vt ſchola tua eũ eijcere volueris: Intercedat porrò aliquis, qui quantũ in ſe eſt hoc malũ deprecetur,& pro noxa tibi etiã ſatisfaciat:dicito ergo,ſi placet, ánne tu in Gymnaſiũ quidẽ tuũ eiuſmodi adoleſcentem admittes, verùm ita, vt certis quibuſdam legibus eum ipſum cohibeas,ne in poſterũ in eadem facilè flagitia labatur,aut alij eius exemplo procliuius etiam illi in vitia ruant. Similitudo iſta ſi non omni ex parte, aliqua ſaltem ratione quod volumus oſtendit. Agnouerunt hoc etiam veteres illi Theologi,& antiquæ Eccleſiæ præſules, quando tam arctè ſatisfactionem obſeruarunt,& tam ſeuerè in peccantes animaduerterunt: Paucos ex omnibus recenſebimus,vt planè intelligant ſtudioſi,quàm ſit noua diſciplina,qua eos hactenus Monhemius inſtituit. Videat imprimis lector,quid ad virginem lapſam Diuus Ambroſius cap.8.ſcripſerit, quo pacto totũ illud cap. in eo inſumatur, vt pro peccato ſuo

ſuo virginem doceat Deo ſatisfacere. Proprij facti (inquit) tu ipſa iudex eſto crudelior, inprimis omnis cura vitæ huius interimenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimás, ſicut es, quomodo poſsis reuiuiſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens ac membra ſingula digna caſtigatione punienda. Amputetur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ pręſtiterunt: Defluant oculi lachrymas, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt: Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè. Et poſt multa eiuſmodi enumerata, Talis (inquit) vita, talis actio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeuerans, audebit ſperare et ſi non gloriam, certè pœnæ vacuationē. Similia in epitaphio Paulæ refert B. Hieronymus, piam illam ſanctamque matronam dixiſſe, turpandam videlicet eſſe faciem, quam contra Dei præceptum ceruſa & ſtibio ſæpe depinxerat. Sic Diuus Auguſtinus ſermone de Pœnitentia, Non ſufficit (ait) mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quę facta ſunt ſatisfiat Deo, per pœnitentis dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Tertullianus item libro de Pœnitentia:

Nemo (inquit) liber est à peccatis, quia de eis doluit, nisi ieiunauerit. Si plura desideret quis testimonia, videat Diuum Ambrosium libr. de Pœnitentia, & sermone 30. & 31. de eleemosyna: D. Cyprianum libr. 3. epistola 18. sermõe 5. de lapsis, in quo tã apertè nostri Monhemij error refellitur, vt ex professo aduersus eundem disputasse videatur. Vide Diuum Augustinum innumeris penè locis, veluti libr. de vera & falsa Pœnitentia: In Enchyridio ad Laurentium cap. 71. Chrysostomum in homilijs de Pœnitentia, & alibi sæpiùs. D. Gregorium homilia de Euangelio ouis perditæ, vbi inquit: Cogitandum summoperè est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam studeat licitis abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Nam qui admisit prohibita, sibimet abscindere debet & concessa. Verùm quid his veterum Doctorum sententijs commemorandis insistimus? quando ex ipsis sacris literis apertissimè constet, dimissa culpa, nonnullam subinde pœnam luendam restare. Nónne apertus est locus Num. 14. quo ad preces quidem Moseos rebellionis crimẽ Israheli remiserat Deus. Dimisi (inquiens) iuxta verbum tuum: hoc tamen addito, Attamẽ oẽs

qui

qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, nō videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorū, nec quisquā ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam. Et Dauid Propheta, postquàm pœnitentia de commisso adulterio duceretur, responsum audiuit à Nathan Propheta, Dominus transtulit peccatum tuum, & non morieris: veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. Psalm. 98. nónne habetur, Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorū. Et in noua lege princeps Apostolorum testatur, Iudiciū incipere à domo Dei, vt videlicet palmites ferentes fructū purgentur, fructusq; plus adferāt. Et D. Paulus: Si nosmetipsos dijudicarem', non vtiq; dijudicaremur. Dū iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cū hoc mundo damnemur. Ex quo sequitur, pœnas aliquas, quibus satisfit peccatis in hac vita, post remissam culpam irrogari. Fit autem sæpenumero, vt priusq debitæ pœnæ satisfiat, ex vita hac homo decedat, & nondum satisfactione hic expleta moriatˀ: is nō statim sanè in cælum recipietˀ, quippè quòd pœnæ alicui adhuc teneatˀ obstrictus.

2. Reg. 12.

1. Pet. 4.

Ioan. 15.

1. Cor. 11.

Vide de hoc loco D. Bernar. serm. 55. in Cantica.

Neque

Neque etiam in infernum detrudetur, qui Deo per Christum est reconciliatus, & in eius gratiam receptus. Est igitur medius aliquis locus ex Dei misericordia tali homini constitutus, in quo quod in hac vita fuit omissum persoluatur: de quo Apostolus ad Corinth. Ipse (inquit) saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem, quemadmodum quidem Florentina synodus verba illa exposuit. De eodem Machabæorum libr. 2. scribitur hũc in modum: Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Hunc locum purgatorium ignem appellant veteres, quem tui discipuli non verentur maculatorium dicere, cum eius tam celebris apud Priscos Theologos habeatur mentio. Vide D. Augustinum libr. de vera & falsa Pœnitentia, capite decimooctauo: Priùs purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autẽ ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis: excellit enim omnem pœnam, quã vnquàm passus est aliquis in hac vita. Nunquàm in carne tanta inuenta est pœna: licet mirabilia passi sint martyres, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerunt supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta cor-

1. Cor. 3.

rigere

rigere, vt post mortem non oporteat talem pœnam tollerare. Et ne longi simus in verbis autorum recitandis, videat studiosus lector, quid de purgatorio scripserit idem D. August. li. 9. Confess. cap. 13. quomodo orauerit pro matre defuncta. Et libr. 50. homiliarum, homilia 16. Enchyri. ad Laurentium cap. 67. 69. 109. Epistola 64. libr. 2. de Genesi contra Manichęos cap. 20 lib. primo de Ciuitate Dei, cap. 13. Tractatu 84. in euangeliũ Ioannis. Chrysostomus prætereà in caput 1. ad Philippenses, sermone 31. homilia 20. in Matthæum homil. 21. in Acta Apostolorum. In Iohannem homil. 84. Ad Populum Antiochenum, sermone 69. homilia 41. In priorem epistolam ad Corinthios. D. Hieronymus in cap. 11. Prouerbiorum. In Esaiæ cap. vltimum. In Marc. cap. 9. In Ezechielis cap. 1. & denique ad Damasum: Dionysius Areopagita, Diui Pauli discipulus, Ecclesiasticæ hierarchiæ capite septimo. Tertullianus libr. de Monogamia. Origenes in Exodum, homilia 6. Ambros. libr. 2. epistol. 8. In oratione funebri, pro Gratiano & Valentiniano. D. Cypr. libr. 1. epistola 9. Atq; hactenus quidem de satisfactione, quæ si non expleatur in hac vita, post mortẽ perficiẽda

restabit

restabit, iuxta concordem S. Patrũ, vt audisti, sententiã. Ex ijs autẽ quę superius dicta sunt, manifestè sequit̃, absolutionis formã nõ in eo cõsistere, vt recitet sacerdos sacri Euãgelij verba, ista videlicet: Remittũtur tibi peccata tua, sed in istis potius, quæ hactenus vsurpauit Ecclesia, Ego te absoluo, &c. quemadmodũ in Florẽtino atq; Tridẽtino Cõcilijs est declaratũ. Cõuenit enim vt sacerdos, qui Iudicis in hoc sacramento officio fungit̃, nõ solũ remitti peccata denunciet, sed vt ipsemet quoq; ea ipsa tanq̃ Christi vicarius atq; minister ꝑ delegata sibi potestate dimittat. Hinc est, ꝙ veriti nõ sint veteres illi sacri Theologi, apertis verbis scribere, sententiã Petri ꝓcedere sẽtẽtiam Cœli, quod vtiq; nõ fecissent, si non ipsemet sacerdos autoritate sibi data in sacramẽto isto aliqd tanq̃ Dei minister efficeret. Vide D. Hilariũ in ca. 16. Matt. D. Chrys. li. 3. de Sacerdotio, & B. Bern. serm. 1. in festo Apostol. Petri & Pauli. Ex ijsdẽ illis manifestè sequit̃, lõgè esse falsissimũ, quod folio 112. facie 2. scripsit Mõhemius, priuatũ videlicet aliquẽ dimittere quidẽ peccata priuato alteri homini posse, nõ tamẽ eundẽ ligare: Siquidẽ ijsdẽ omninò dictũ est, quorũ retinueritis retenta sunt: quib' dicebat,

quorũ remiſeritis: remiſſa ſunt. Et rurſus Ioan. 20.
iiſdẽ: quæcũq; ligaueritis, ligata erũt: quib' illud, Quæcunq; ſolueritis, ſoluta erũt. Et Matt. 18.
hoc certè ipſum etiã ex iudicis officio planũ fieri poterit, ita enĩ ſeſe res habet, vt eiuſdẽ ſit & abſoluere reũ, & eundẽ dãnare. Si igit̃ ſacramẽtum iſtud ꝑ modũ iudicij, quẽadmodũ antè oſtẽdimus, exerceri debeat, in quo iudex ſit Sacerdos, profectò nõ minus retinere peccata ille poterit (ſi cõditiones eas in pœnitẽte deſiderari viderit, quas ſecũ adferri neceſſe fuerat) q̃ eadẽ dimittere. Verũ fortaſſe de excõmunicatione locutus eſt Mõheimius. quod ſi ita ſit, fatebimur quidã multa cura, & inſpectiõe, diligẽtiſſimaq; diſquiſitiõe, ſummaq; prudentia opus eſſe, ne immeritò aliquis ita graui pœna mulctet: hoc tamẽ nihilominus certũ eſſe debebit, eiuſdẽ eſſe hõis eã pœnam inferre, cui' eſt ab eadẽ abſoluere. Vide qd inuictiſſimus ille Ambroſ. imperatori Theodoſio ſol' fecerit, vt ſol' eũ ab Eccleſia depulerit, neq; priùs in eandẽ admiſerit, q̃ debita pœnitẽtia cõmiſſam culpã expiaret. Plura quidẽ, eaq; manifeſtiſſima huius rei aduci poſſent exẽpla, ſed breuitatis ſtudioſiores finẽ huic dialogo imponendũ cẽſuimus. Itaq; vt de more cõcludamus, Trident. Synodũ

loquen-

loquentem audi: Si quis dixerit totam pœ-
Canon.12. nam simul cũ culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque Pœnitentum non esse aliam, quàm fidẽ, qua apprehendunt Christũ, pro eis satisfecisse, anathema sit. Si quis dixerit, satisfactiones quibus pœnitentes per Christum IESVM peccata redimunt, non esse cultus DEI, sed traditiones ho-
Canõ.14. minum, doctrinam de gratia & verum Dei cultum atq; ipsum beneficiũ mortis Christi obscurantes, anathema sit.

Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendum, nõ etiam ad ligan-
Canon.15. dum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra institutionẽ Christi, & functionem esse, quòd virtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerunque exoluenda remaneat, anathema sit.

IN DIALOGVM XI.

TVrpiter admodùm postremo isto dialogo in duobus precipuè Sacramentis error commissus est, Confirmatione videlicet & extrema vunctione, quorum neq; natura, neque virtus satis explicatur. Videtur namque non aliud de confirmatione sentire

ſentire Monhemius, quàm quòd exhortatio fuerit Epiſcopi (addita ſolenni benedictiōe) vt incœpta religiōe fortiter perſiſterent, ſic enim ait: *Cùm ritè fidei myſterijs inſtituti erant pueri, ipſorum parentes eos Epiſcopo examinandos repræſentabant, coram quo cùm fidei confeßionem edidißent, per manuum impoſitionem, adhibita ſolenni benedictione, confirmabantur. Sic in Actis legimus: Cúmque euangelizaßent ciuitati illi, ac docuißent multos, reuerſi ſunt Liſtram & Iconiū, & Antiochiā, denuò confirmantes animas diſcipulorum, exhortantesq́; ut perſeuerarent in fide, & quòd per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum Dei.* Hęc eſt Monhemij de Confirmatione cōfeſsio, in qua illud maximè deſideramus omnes, vt mentem ſuam luculentiùs exponat, dicatque, án ne plus aliquid in animis operabatur manuum illa Epiſcoporum impoſitio, quàm quod nuda exhortatione fieri conſueuit? An ne prætereà ex vi Sacramenti, quamplurima dona animis infundebantur, quibus adiuti perfecti Chriſtiani eſſent, ac ſeptiformi Spirit⁹ ſancti gratia pfuſi atq; cōtra aſtus ac diabolicos inſultus communiti. Si neget (vt negare videtur, dum ſolummodò ritum appellat) eſt quod

maiorum nostrorum de hoc Sacramento sententiam audiat, vt intelligat, quàm sit neotericũ ac abominãdum dogma, quod hodie nouatores nõnulli comminiscũtur. Illi nõ solùm sacramentũ esse crediderunt, sed illud planè in nobis efficere (demptis externis miraculis) quod in celeberrimo illo Penthecostes die in cordibus Apostolorũ efficiebatur, atq; deinceps in omnibus ijs, q per Apostolicarũ manuũ impositionẽ Spiritum sanctum acceperunt, fatentur illi Baptismo quidem nos in Ecclesiæ corpus assumi, & noua quadam generatiõe nasci, confirmatione verò hoc procreari, vt qui pueri erant sensu, & quasi modo geniti infantes, in perfectiorem ætatem adolescant, robustiores sint, neque vereantur Christi crucem publicè etiam cum vitæ discrimine profiteri. Hinc est, quod crismate sacro (quod Christum postrema cœna docuisse Apostolos conficere, antiquissimus Fabianus Pontifex & martyr testatur) sacramentũ istud ritè administratũ: nullum enĩ accõmodatius signum inueniri potuit, quo rectius sacramẽti huius effectus exprimeret. Chrisma siquidẽ est, ex balsamo atq; oleo commixtũ, in quo oleum fidei, quàm publicè profitemur splẽdorem: Balsamum autem

tem cùm odoriferum ſit, odorẽ bonorum operum, qui ad omnes propagandus eſt, non incongruè ſignificat. Oleum quoque (quemadmodũ Clemens Alexandrinus locuples teſtis eſt) ad pugnãdum extimulat, vt eo inũcti omni contẽtione, omnibuſq; viribus in certamine indefeſſe depugnent. Significat igitur ſacri chriſmatis iſta inunctio, qua fronti noſtræ (quæ ſedes pudoris eſt) crucis ſignum imprimitur, fidẽ, religionem non eſſe celandam, aut pudore offuſcandã, ſed liberè coram omnibus ignominioſam Chriſti crucẽ fronti noſtrę impreſſam, cũ ſincera fide operibuſq; Christiano hoie dignis ꝓfitendã eſſe, præſidio gratiæ diuinę, quo anim⁹ corroborari intus agnoſcit. Deſideras fortaſſe, vt hęc quę diximus, ſentẽtijs veterũ cõprobemus. Agè, morem geramus voluntati tuæ, tu viciſsim noſtræ nõ reluctẽris. Sed audias qd D. Clemẽs Pontifex ac martyr ad Iulium ac Iulianũ diſcipulos ſcripſerit: Omnibus, inquit, feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & denuò cõſignari ab Epiſcopo, hoc eſt, ſeptiformẽ gratiam S. ſpiritus percipere, quia incertus eſt vniuſcuiuſq; exitus vitæ. Cùm aũt regeneratus fuerit p aquã, & poſtmodũ ſeptiformi Spiritus gratia ab Epiſcopo (vt

Lib. 1. Pædagogi, cap. 8.

dictum est) confirmatus (quia aliter perfectus Christianus esse non poterit, nec sedē habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut volūtate remanserit, vt à B. Petro accepimus, ac cæteri sancti Apostoli præcipiente Dño docuerunt) Demum ex operibus bonis ostēdat, in se similitudinem eius qui eum genuit patris. Post hunc Vrbanus Pontifex, & ipse martyr Epistola ea, quam ad oēs fideles destinauit: Omnes, inqt, fideles per manus Episcoporū impositioné, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniant. Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiā & constantiam dilatat. Cornelius deinde Pontifex & ipse martyrio celebris (vt testis est Eusebius) Epistola quadam de Nouato hæreseos Catharorum authore, scribit, quòd signaculo chrismatis consummatus non fuerit, vnde nec Spiritum sanctum vnquàm potuerit promereri. Prætereà Melchiades Epistola ad Hispaniæ episcopos, nō veret sacramentum istud cum Baptismate conferre, vt exploratum sit omnibus, quàm sit noua doctrina, ac ab omnibus explodenda eorum, qui ritum quendam ex confirmatione faciunt. Si hinc ad concilia te conferas, nō minoris

Lib 6. Eccle. hist. cap. 33.

mo-

momenti sententias etiam illic inuenies, quibus non parùm sacramẽtum istud celebrat. Vide antiquissimum illud Elibertinũ conciliũ, tempore D. Syluestri coactum can. 38. & Laodicenũ circa annos 1200. in Phrygia habitũ ca. 7. & 48. Arelatense præterea ca. 8. Inter sacros Doctores, Dionysius Areopagita ca. 4. Ecclesiasticæ hierarch. τελετήν, hoc est, perfectionẽ appellat. Vide Iustinũ Philosophum & martyrem in explicatione 14. & 157. quæstionum inter eas quæ à Gentilibus Christianis proponebantur. Item D. Cyprianum, libr. 1. Epistola 12. Itẽ D. Basilium, quando de Spiritu sancto disputat. Similiter & Diuum Hieronymum, Dialogo illo celebri aduersus Luciferianos. Postremò Diuum Augustinum, libro tertio contra Epistolam Petiliani capite 104. & libro tertio contra Donatistas cap. 16. libro etiam decimoquinto de S. Trinitate. Atque hoc certè in vniuersum asseuerare licet post Baptismũ vix esse aliud Sacramentum, cuius apud veteres adeò celebris habeatur mẽtio, idq; non sine eximia aliqua effectuũ commẽdatione, qui ab ipso ꝓducuntur. Si enĩ ita sese res habeat (quemadmodũ hæretici volunt) vt leuis tantùm animorũ confirmatio, qualis

etiam admonitionibus effici solet, hoc sacramento producatur, qui factum est, vt à solis Episcopis ordinariè Sacramentũ hoc perficiatur, cùm non minùs quàm illi, etiam Diaconi, parentes, aut quiuis allij adhortari queant adolescentes? Lectum sanè in Apostolicis Actis comperimus, ne Philippum quidem, qui tamen baptizarat Samaritas, ijsdem impendere valuisse Spiritus sancti gratiam, sed missos fuisse ad id negocij transigendũ Petrum & Ioannem qui manuũ impositione fidelibus eam impartirent: qua de re elegãter disserit Innocent. 1. epist. 1. ad decentiũ Eugubinũ, hæc (inquiens) Pontificibus solis deberi, vt vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demõstrat, verum & illa lectio Actuũ Apostolorum, quæ asserit Petrum & Ioannem esse directos, vt iam baptizatis traderent Spiritum sanctum, nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo, cùm baptizant chrismate baptizatos vngere licet, sed quòd ab Episcopo fuerit consecratũ, non tamẽ frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum paracletum. Ex his omnibus facilè cuiuis perspicuum esse po-

Act. 8.

Cap. 3.

poterit, non leuis momenti rem confirmatione conferri, nec admonitionẽ tantummodò eam esse, sed verissimũ sacramẽtum, quod septiformi Spiritus sancti gratia, animos aduersus omnes dæmonum insultus, atque aduersitates communiat. Cæterùm ad Tridentinæ Synodi decreta nos transferamus, atque primùm audiamus canonem, qui nõ mediocriter Monhemij aliorumq; sententiæ refragatur. Si quis dixerit cõfirmationẽ baptizatorũ otiosam esse ceremoniam, & non potius verum & proprium sacramentũ, aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandã, qua adolescentiæ proximi fidei suę rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit. Can. 1. de Confirmatione.

In tractatione de Matrimono, folio 116. facie secunda, ad hanc patris interrogationem, *An liberi citra parentum suorum authoritatem & consensum astringere se matrimonio queant?* Respondet Filius: *Non solùm Diuinum præceptum exigit, ut liberi honorent parentes suos, uerùm etiam naturalis ratio & ipsæ ciuiles leges iubent in contrahendo matrimonio consensum parentũ requirere.* Si adhortari hìc filios oẽs volet Mõhemius, ne citra parentũ cõsensum mãtrimoniũ contrahãt, nõ possu-

mus nõ vehemẽter cõmendare consilum, decet enim vt summo honore parẽtes suos afficiant liberi, atq; in huiuscemodi vitæ instituto amplexando illos potiùs consulant, qui rerum experientia atque iuditio plurimùm valent, quàm vt sibi suæque intemperãtiæ solummodò credant: Sin verò (quod interrogatio sonare videtur) existimat irritum esse matrimonium, quod inconsultis inuitisque parentibus initur, non est vsque adeò Ecclesiæ consentanea doctrina, quæ in sola vtriusq; cõiugis consensione verbis expressa matrimoniũ cõsi-
Libri 6. Epist. 43. stere statuit. Vide quid B. Ambrosius Sisynnio scripserit, cuius filius citra patris cõsensum vxorẽ duxerat, fatẽ illic patrem iure filio indignari, sed interim ratum esse matrimonium. Item in lege veteri scri-
Gen. 26. ptum legimus: Esau inconsultis prorsus inuitisque parẽtibus vxores ex filijs Heth, duxisse, nec tamen eas hoc nomine vnquàm repudiasse, aut reijecisse.

Folio 117. de extrema vnctione loquens Monhemius, non alium ritum fuisse quondam existimat, quàm quòd ministri Ecclesiæ laborantes visitare, eosdemq; verbo solari consueuerint. *Exigit (inquit) ministrorum Ecclesiæ officium, ut ægrotos uisitent ac* orent

orent una cum Ecclesia pro salute eorum, & consolentur ipsos uerbo Dei. Hæc est uerè pia unctio, qua Spiritus sanctus efficax est in credentibus. Est igitur, quantum apparet Monhemij sententia, vnctionem infirmorum, sacerdotum tātum fuisse consolationem, Ecclesięque orationem, quibus laborantium animi erigebantur, atque de Dei bonitate sumebant fiduciam: Talem consolationem vnctionis nomine significari putat. Quod si verum est, mirum profecto tot voculis verbum Dei significatum esse: Superiùs Dialogo octauo (illud baptizare) idem, erat quod diuino verbo instituere: Hic rursum illud (inungere) consolari verbo Dei significat, atq; sic quæcunque tandem vox Monhemij instituto displicet, ea ad diuini verbi significationem fortasse pertrahetur. Mirum est quare nō etiam cibus ille diuinæ cœnæ, verbum Dei fuerit maximè cùm scriptum sit, nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Verùm vt ad institutum nostrum nos conferamus. Ecclesia hactenus sanctissimè crediuit, sacramentū istud oleo consecrato perfici, quod grauiter laborantibus Christianis certa quadam verborum forma sacerdotes applicant, eum in finem, vt Matth. 4.

in tanta infirmitate in dæmonum tẽtationib⁹ faciliùs validiusq́; resistãt, atq; leuiùs morborũ ferant molestias. Quũ enim sub huius vitæ terminum, grauiores struat insidias leo ille rugiens, quamq́; validiore tentationum turbine iã ita ægritudine languẽtes adoriatur (metuit enim ne si eo tẽpore torpescat, è faucibus ei præda eripiatur) cũq́ue etiam illud infirmitate impedimentũ accidere soleat, vt minùs strenuè reluctari posśint: æquum sanè videbatur, tale à Christo sacramentũ institui, quo aliquid roboris morbo confectis adderetur. Effectus igitur huius sacramenti (quemadmodum Patres Tridentini Cõcilij declararunt) est gratia Spiritus sancti, cui⁹ vnctio delicta si quę sint adhuc expiãda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat atq; confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciã excitãdo, qua infirmus subleuatus, & morbi incõmoda ac labores leuiùs tolerat, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiãtis faciliùs resistit, & sanitatẽ corporis interdũ vbi saluti animi expedierit, consequitur, hæc oĩa disertis verbis B. Iacobus è- pist. sua exposuit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngẽtes eum oleo in nomine Domini,

Cap. 5.

mini,

mini,& oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Hac D. Iacobi ſententia materia ſacramenti, quæ eſt oleum exprimitur, & etiam forma, quam in modum precationis vſurpat Eccleſia. Effectus prætereà, ipſa videlicet alleuiatio, hoc eſt, gratia Spiritus ſancti, qua infirmus releuatur ad moleſtias animi corporiſque perferendas, vt paulò antè dictum eſt. Multi ſunt Veteres ſanctiſsimi patres, qui de eodē hoc Sacramento non obſcurè ſunt locuti, in primis autem Beatus Chryſoſtomus libro tertio de Sacerdotio, vbi demonſtrare contendit plura in nos conferri beneficio ſacerdotum munere quàm parentum: Docet enim illic hoc ipſo ſacramento remitti peccata, remiſsiorē pœnā infligi, & morti propinquā animā liberari: Verba eius quoniā multa ſunt huc adferēda nō cēſuimus. Quid aūt D. Auguſt. de huius ipſius Sacramenti effectu tradat paucis accipe: Si (inqt) roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Iacobus Apoſtolus, imò per Apoſtolum ſuū Dominus, ipſa videlicet olei ſacrati delibutio, intelligitur Spiritus ſancti typicalis vnctio: & lib. de rectitudine Catholicæ conuerſationis: Quoties (inqt) infirmitas occurrerit alicui, Li. 2. de viſitat. infirmo, cap. 4.

non quæ-

non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non carcarcij, neq; per fontes aut arbores aut biuia phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & deuotione suscipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundum Apostolũ oratio fidei saluabit infirmum, nec solùm corporis, sed etiam animæ sanitatem accipiet. Innocentius tertius & sanctitate & eruditione (si historiographis sua fides debetur) nõ parùm insignis, inter cætera de hoc quoque Sacramento hisce verbis locutus est: Scire te volumus, duas esse species vnctionis, exteriorem, quæ materialis est & visibilis: & interiorem, quæ spiritualis est, & inuisibilis: Exteriori quidem inungitur corpus, interiori inuisibiliter inungitur cor. De prima Iacobus ait: Infirmatur quis in vobis, &c. De secunda Iohannes Apostol. ait, Vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Vnctio visibilis & exterior, signum est inuisibilis & interioris vnctionis. Vidésne per externam vnctionem hoc sacramento internam Spiritus sancti gratiam conferri? Non est quod de Innocentio primo aliquid dicamus, cuius

Iacob. 5.

1. Ioan. 2.

ius verba Dialogo septimo allata sunt. Docet enim ille apertè, pœnitentibus istud infundi non posse, quod genus sit Sacramenti. Quibus enim (inquit) reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? Si extrema vnctio sit solum pia quædam adhortatio Sacerdotum Ecclesiæ, qui fit, quòd pœnitentibus à Pontifice illo dari prohibeatur, cùm nullo vnquam decreto sit cautum, ne quis Sacerdos vel admoneat vel soletur pœnitentes? Qui fit etiam, vt semel tantùm in eadem infirmitate soleat administrari, cum non modò non inhibitum sit sæpiùs solari laborantes, sed etiã quã maximè ij cõmendentur, qui crebris admonitionibus pijsq; sermonibus animos eorum frequenter reficiunt & erigunt? Maiores certè nostri aliter longè de hoc Sacramento locuti sunt, quemadmodum & modò ostendimus, & in Florentino Concilio apertè declaratum est. In Tridentina Synodo posteaquã pluribus verbis de eius natura actum est, hoc tandem quodam in canone decretũ promulgatum cernimus: quo eodem etiã huic nostræ disputationi finem imponendum esse censemus. Si quis dixerit, extremam vnctionem non esse verè & proprium Sacra-

Epistol. 1. cap. 8.

De extrema vnctione can. 1.

cramentum à Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & à Beato Iacobo Apoſtolo promulgatum: ſed ritum tantùm acceptũ à patribus, aut figmentum humanum: Anathema ſit. Si quis dixerit, ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema ſit.

Can. 2.

FINIS.

PER-

PERORATIO.



Actenus studiose ac Candide lector salutis tuæ gratia de Monhemij Catechismo censuram tulimus, atque erroribus confutatis, satis superque (nisi fallimur) aperuimus, quàm ... Christiana religione doctrinam amplecti, quamque contrà repudiare conueniat. Amplectenda est ea, quam à maioribus tot dotibus præclaris, à tot sæculis per manus traditam, accepimus. Vitanda semper est nuper excogitata, atque perniciosa nouitas, non facilè Patrum sunt relinquenda vestigia, quos pro ingenita ac pia simplicitate sanctaque prudentia Spiritus sanctus tot donis illustrauit atque insigniuit, vt erroribus nec aures accommodare, nec aditum vllum præbere voluerint. O vtinam tale eorum sæculum etiam nobis diuina clementia concedatur. Vtinam nouis omnibus vanitatibus atque blasphemijs profligatis, in eadem nos simplicitate, puritateque & pace viuere contingat, quàm fœliciter cùm Dei Ecclesia ageretur, quanta lætitia pij omnes perfunderentur, quàm citò tranquillitatis illius experiremur fructum. Olim ante exortas has hæreses, quando vnũ sapiebãt omnes,

omnes, & ciues magistratibus morem gerebant, & copia rerum omnium regiones affluebant, & colebatur sine fuco amicitia; & denique iuuentus sine graui negocio ad pietatem & studia illectari accommodariq; poterat. Nunc verò vt in Ecclesiam hec (qua nũquàm extitit pestilentior) hæresis inuecta est, neque ciues magistratibus, ea qua decet veneratione, obtemperant, nec alter alteri amicitiæ officia sine simulatione exhibet: Quin potiùs ciuilibus tumultibus, contentionibus, rixis, dissidiis, cædibus ac denique, vt de annonæ caritate & rerum inopia taceamus, omnium rerum perturbatione cuncta flagrare conspicias. Nec solùm has, quantumuis execrandas calamitates, peperit nobis hæresis, sed etiam ingenium obfuscat, cor hominis indurat, intellectum obnubilat, animum ipsum omnibus huius vitæ malis immergit, bonisque omnibus spoliat, atq; in sempiternum præcipitat interitum. An non videatur talium miseriarum vitãda esse causa ingenue lector? An ne melius sit, & hic in summa quiete animi, vitam transmittere, atque expleto curriculo fœlicitatẽ æternam metere? Age si istud toto pectore desideras, è manibus prauos quosque libellos

bellos eueſtigiò abijcito, colloquia perniтioſa ceu peſtem quandam fugito, quandoquidem qui tangit picem, inquinatur ab ea,& corrumpunt bonos colloquia mala. Antiquæ Patrum tuorum religioni mordicùs adhæreas, nec ab ea te ferro vel igni, nedum blandis verbis ſinas auelli. Quocirca cane peius & angue odias, quæ à vera & Catholica fide abducere, vel ambiguum, aut nutabundum te reddere queant. Obteſtamur te omnes Chriſti miſerias, per pretioſum ſanguinem, perque acerbiſsimam eius mortem, vt ſi quos ex Catechiſmi Monhemiani lectione errores hauſeris, explorata ac cognita iam veritate deponas, te potiùs & ipſum Monhemium, quàm Sacro ſanctam Eccleſiam errare agnoſcas. Nec vnquàm in animũ tuum inducas, pios maiores tuos, ac vniuerſos tot retrò ſeculis hoĩes in ſummis hactenus degiſſe tenebris, ac p̄ ſyncerę fidei inopiã nũc in tartara p̄cipitatos eſſe, vnicũ verò cũ ſuis aſſeclis Lutherũ veritatis lucẽ in Eccleſiam induxiſſe. Ne iſtud credideris vnq̃, quando cõſpicis hos homines, qui ſe nouarum hæreſum repertores iactitãt, vita ipſa ſua, moribusq; conteſtari, q̃ ſint à vera religione alieni. Eià agè, rũpe moras, reſipiſce, veritatẽ

Eccle. 13.
1. Cor. 15.

edoctus, neque magiſtris aures demulcentibus fidem accommodes, qui coram iudice æquiſsimo, (cui aliquando ſiſtendus eris) neque cauſam tuam agent, neq; patrocinium adferre poterunt. Sed te omninò deſtituent, ſed & ipſi omni præſidio deſtituentur. Deo in primis & omnibus Sanctis exoſi, quorum gloriam & laudẽ tam varijs modis oppugnarunt. Imò & horrẽdo dæmonũ cœtui copulabuntur, quorũ voluntati ac ſuggeſtionibus miſerè obtemperarũt. Quare & te, Monhemi, quanta poſſumus charitate rogatũ volumus, vt ſaluti tuę ſeriò cõſulas, & ipſe abdicatis erroribus reſipiſcas, & alios falſis opinionibus imbuere deſinas, ne te terribilis illa dies præoccupet, ac pœnis æternis inuoluat, ſi in ijs quos inuulgaſti erroribus pertinax perſtiteris. Non S. ſcripturam abijcias, non Oecumenica Concilia aſperneris, non vetuſtiſsimos ac Sacerrimos Doctores reſpuas, nõ te plùs ſapere credas, ꝙ eos ꝗ omnẽ ætatem ſuã in Theologiæ ſtudio conſumpſerunt. Aduertis quoties à ſanctis Patribus anathemate percuſsi ſint, ꝗ errores illos tuẽtur, quos libello huic tuo inſeruiſti. Ne exiſtimes eos omnes lapſos, te ſolùm errare nõ poſſe: hæc eñ plus quàm puerilis & ſtulta co-

ta cogitatio est, taliumq; hominũ, quibus nec mens, nec vllum est cerebrum. Speramus te prudẽtiorem fore, quàm qui te tantis periculis post hac commitere, vt nõ dicámus te omnibus ridendum exponere, velis. Nec arbitramur te (qua es prudentia) hanc correptionem iniquo posse animo ferre, cùm dicat Sapiens: Argue sapientem & diliget te. Alioqui, quod absit, dira illa comminatio te vehementer perstringeret, quam idem per Spiritum sanctum ita detonat: Viro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus. Quin potiùs eiusdem sententia in spẽ beneuolentiæ ineundæ nos erigit: Qui corripit (ait) hominem, gratiam inueniet posteà apud eum magis, quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. Neque diuersum Christus docet, Si peccauerit (inquiens) in te frater tuus, corripe inter te & ipsum solũ. Vult eñi clã peccãtes, etiã clàm arguendos esse, publicè autẽ delinquentes, etiam publica correptióne monẽdos esse, scriptura testis est, quæ ait: Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Et alibi D. Paulus: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

Proue. 9.
Prou. 29.
prou. 28.
Matt. 18.
Leuit. 19.
1. Tim. 5.

Proinde quãuis subinde acerbiùs nõnulla dicta videri possint, id ex mera charitate factum existima, qua tè tuosq; discipulos complectimur. Voluimus autem subinde acrioribus vti remedijs, vt opinionum absurditatem demonstraremus, ne quisquam in tuum libellum cum salutis periculo impingere posset. Suscipias igitur cum ingenuo lectore hęc qualiacunque eo quo scripti sunt animi candore. Rogamus & obsecramus Deũ opt. maximum, vt nunc tandẽ suæ sponsæ Ecclesiæ misertus, hæreses omnes profligat, seductorũ animos emolliat, ac diuino veræ fidei lumine illustret, Catholicis rectæ fidei constantiã clementer suppeditet, vt omnes æternam salutem consequantur, donante illo qui cum patre & Spiritu sancto regnat Deus in secula benedictus. Amen.

Christo gloria.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE HOC LIbello continentur.

Con-

De

Mon-

Sacra-

Acta

Sancti

FINIS.


BENEDICES
CORONAE
ANNI BENI-
GNITATIS
TVAE.
Psalm. 64.